# BASINIO BASINI HESPERIDOS LIBRI (6945 vers)



Sigismondo Pandolfo Malatesta (1417-1468)

détail de la fresque de Piero della Francesca
*Sigismondo Pandolfo Malatesta priant en face de St Sigismond*

Tempio Malatestiano, Rimini

Le texte donné ici est celui de l'édition 'ex autographo' d'Arimini, datée de 1794. Pour rendre le texte plus lisible pour nos contemporains, nous avons cru bon d'actualiser les graphies et d'introduire des guillemets ; le reste de la ponctuation a été, dans l'ensemble, conservé : elle ne correspond pas à l'usage actuel, sans pourtant rendre la lecture difficile.

## LIBER PRIMVS

H_1 v.1 Martis et arma feri, et partum virtute triumphum
2 magnanimi dic, Musa, viri, qui fortibus ausis
3 dispulit invectos Tyrrhenum ad litus Iberos
4 intrepidus ; gentem neque enim periisse Latinam
5 fas erat, externoque viros parere Tyranno.
6 Quis metus exactas animis in proelia gentes
7 Barbaricas, Italasve novo concurrere bello
8 impulit ? Indomitum quae causa lacessere martem
9 suasit, et amborum populos, aeterna subegit
10 exercere odia, ac tantas consurgere in iras ?
11 Prisca fides, veterumque memor Discordia rerum.

Quod mare, quod terras, Romana potentia quondam
imperiis elata suis Garamantas, et Afros,
Auroram, et Zephyrum, nec non Boreamque, Notumque
subdiderat pedibus, domitumque subegerat orbem.
Hinc fluere urgenti semper discordia fato
longius, et stimulis agitatae ingentibus irae
misceri, totisque furor crebrescere terris,
Romanosque duces vani indignantur Iberi
extremas populasse plagas ; tempusque monere
tum demum faciles Latii tentare ruinas,
discordesque animos, bellum crudele videbant
Italiae commune scelus. Ligus omnis in armis,
Euganeusque fuit : regem sortita potentem
Barbara gens Italas ibat sibi poscere terras.
Jam tum fama viros movet inclyta, totaque surgit
gloria, et antiquae jam laudis amore feruntur
praecipites populi : veterum jam facta parentum
inter se memorant, varioque ardore tumescunt.
Hinc decus Ausonium, priscique superbia regni,
et fortuna deum, rebus quae fida Latinis
usque fuit, dum bella domo procul alma gerebat
Italia, et virtus hominum Romana priorum.
Monstra deum multos jam tum vulgata per annos
signa futura dare, ac caedem et crudele minari
excidium, terraeque tremor : tum coepta moveri
proelia per populos inter se, et plurima leto
corpora, Parcarum demesso stamine, reddi ;
defectusque polo Solis, Lunaeque recursus,
et dirae facies, et sidera ab aethere lapsa,
omnia quae jam tum belli portenta futuri
signa dabant, letumque viris stragemque parabant.
Nam ferus Ausonias veniens Alphonsus ad oras,
exponensque feram Tyrrheno in litore gentem,
adventu et fama populos terrebat Etruscos.
Cum pater ipse deum caelo Saturnius alto
Mercurium arcessit, tenues qui verba per auras,
et mandata refert patris : " Cyllenia proles,
nate, vola, claroque celer delabere Olympo,
Sismundumque moras qui nunc terit, eia age, longas
alloquere, ut totas compellat in agmina gentes
Italiae, et patriis Alphonsum avertat ab oris.
Ille quidem, quamvis bello sit clarus et ipso,
Parthenopenque suis olim submiserit armis,
effugiet, sese velocibus auferet austris,
pontivagoque dabit sinuantia lintea malo."
Sic ait : ille pedem pulchris talaribus ornat,
et levibus pennis ventosas implicat alas ;
tum virgam, assuetumque capit de more galerum,
ac pariter labens caelo se misit, et auras
navigat aethereas, vastumque relinquit Olympum.
Olli operans longe Zephyrum aspirabat Apollo.
Contigit accitis demum tentoria ventis
Pandulphi magni, media qui nocte quietem
divinam, et placidos carpebat pectore somnos.
"Heus , ait, an vigilas Italorum maxime ductor ?
Me Pater ille Deum supero tibi mittit Olympo,

qui freta, qui terras atque aurea sidera torquet.
Duc, jubet, in Celtas ex omni gente Latinos :
numina cuncta favent ; neque enim tibi maxima Juno
usquam aberit." Dixit, celeresque elapsus in auras
incertum juvenem tali sermone reliquit.
Nec minus ille Jovis secum mandata volutat,
alternatque animum curis : tum singula secum
mente movens taciti, tristi sub corde retractat
eventus varios primum, bellique labores
assiduos, et fata deum ; tum tempore tali
quid fortuna ferat, qua se ratione sequatur
certa salus, animum partes mutatur in omnes,
omnia pro patriis metuit discrimina terris.
Surgit, et exiles tunicas indutus, amictu
purpureo, chlamydemque super circumdatus auro,
peronesque pedi jungit, simul accipit ensem
fulmineum, et gemmis insignem, auroque superbo,
caelatum et signis, olli quem fecerat ipse
Mulciber, et fulvis stridentem merserat undis.
Tum sceptrum capit, Omnipotens quod tradidit olim
Pandulpho egregium munus, quo lata tenebat
imperia, atque Italum populos, urbesque regebat.
His accinctus adest coram Pandulphius heros
omnibus effulgens tumulo sublimis ab alto
Chalcoboum, Eurybromumque vocans, queis talia mandat.
"Ite Jovis magni praecones cura, virumque,
Alphonso et celeres jam nunc mea dicta referte ;
haud nos umbriferi montes, pelagasve sonorum
dividit : ambo armis campum veniemus in aequum.
Non ego contra illum scelerata capessere bella
regnorum, patriave avidus concedere terra
constitui ; me magna movens injuria martem
impulit Etruscis agitare in proelia campis :
me genus Ausonidum, me raptae litora terrae
sollicitant, coguntque novo concurrere bello.
Cedat, et incassum tandem male rapta relinquat ;
post ego Maeonias linquam, velut hospes, arenas.
Sin decus Ausonium, atque animos contemnere nostros
apparat, incipiam ; neque me bellare pigebit
donec agam invisas Italos Taraconis ad oras."
Talia mandabat magno referenda Tyranno.
Interea oceano fusis Aurora quadrigis
vecta, novo tremulos spargebat lumine fluctus
aequoris, et summos lustrabat lampade montes.
Constitit, ac magni spectans nova lumina Solis,
"Sol, qui cuncta vides, atque omnia maximus audis,
summe deum Arcitenens, Chrysai cultor Apollo,
qui Cillam, et Tenedon, felicia regna, tuamque
Delon, et Ortygiae fontes, Cynthumque jugosum,
Eurotamque cavum, Lyciam, Soractis et arces
Hesperias, altaeque tenes Capitolia Romae,
ipse fave coeptis, Divum pulcherrime, nostris."
Sic effatus, equum pressis conscendit habenis,
exploratque vias, incultaque saxa, locosque
difficiles, facilesque oculis, Arnumque sonantem,
Etruscosque amnes alios, silvasque virentes.

Ac veluti fulvum sequitur cum forte leonem
saxosas inter valles, aditusque malignos
venator ; summis Poenorum, in montibus ille
stat ferus, et fremitum ter dentibus expuit albis,
murmuraque increpuit, rabidoque exhorruit ore ;
excitum tamen Afer agit, telisque fatigat
usque premens, silvisque feram vestigat opacis :
haud secus Alphonsum regem Pandulphius heros
insequitur, positisque vetat requiescere castris,
quem circum Italiae populi versantur, et olli
grata animo placidis infundunt gaudia dictis.
Illi Pallas erat comes invidiosa, decusque
immortale dabat, vires, animumque secundans,
cara Jovis proles, medio Tritonia campo
ostentans angues, et Gorgonis ora Medusae
sibila, terribilemque aeratis Aegida monstris,
nubigeri Jovis arma, solo quibus eruit urbes :
atque hortata viros, cunctis in mentibus unum
injecit bellum, tum dulcem Martis amorem.
Amplius haud ultra patriam, carosque penates,
arma sed arma viri cupiunt, amor omnis in armis,
arma fremunt Itali, sonat excita terra tumultu
horrisono, fulgent auro, fulvoque orichalco.
Qualis ubi silvam in densam furit ignis anhelas
effundens late flammas, in montibus altis
apparet rubor, innumeris incendia lucem
sparsa locis tendunt, micat hinc Vulcanus et illinc ;
talis ab aere dabat radiis percussa coruscis
lumina Solis apex surgentis, et omnia juxta
complebat nova lux flammis geminata refusis.
Haud secus innumerae volucrum se millia gentis
multa ferunt ad te densis jam protinus alis,
Mantua, cum turba resonant tua stagna canori,
Mincius et longas pater accipit amne cohortes ;
cygnorum ut solet compelli ad litora nubes
Asia prata super, flavi super arva Caystri,
ludentes tolluntur aves stridore per auras ;
tot fortes Itali cunctis sese undique fundunt
urbibus ad campum, et liquidi jam flumina ad Arni.
Constitit hic primum pulchris Sismundus in armis
in campi et procerum medio, quem millia circum
hinc atque hinc permulta virum stant agmine, ferro
non minus, accincti juvenes, quam si horrida duri
Martis ad arma vocet totus furor ; undique clamor,
undique concursus ; illum mirantur, et illum
postremi primique adeunt ; velut aequore in alta
paullatim fremitus liquidis exsurgit in undis,
luctanti scopulo Zephyrique Notique sonantes,
obtrudunt fluctus, fervet mare, et ocius omnis
magna tumet ponti facies, tum cana repulso
marmore spuma salit, cunctae se in saxa sequuntur
innumeris undae cumulis, ipse imbribus atris
tunditur, in nubemque volans se condit Orion,
et caelo caput, atque pedes tellure recondit.
Hic ubi jussa ducis constare silentia dextra,
tot fortes Itali secum taciturna trahebant

agmina, nec quisquam mortali in pectore vocem
tot populum putet esse, nihil quos lingua juvabat,
nec dulcis socium varia in commercia sermo.
Tanta quies animis, adeo parere decorum,
toto densa die veniebant agmina tali
ordine, nec cessant, donec nox atra virum vim
dividit, et placidae suadet parere quieti.
Tum Venus ambrosium sic est affata Soporem.
"Somne, deum requies, hominum divina voluptas,
qui renovas pressos variis languoribus artus,
et genus humanum curis urentibus aufers,
cernis ut ipse super patriae stet nomine carae
sollicitus pulchris solus Sismundus in armis ?
Qui pius Etruscas tueatur ut inclytus urbes,
venit Arimineis instructo milite terris,
et nunc optatis Lydorum tendit in oris.
I, Sopor, i juveni fessis infunde medullis
divinam requiem, totique illabere menti.
Hic te digna manent tali pro munere dona :
inter enim Charites quae sit pulcherrima nostras
grata tibi conjux, vincloque dicata, jugali
aeternos dabitur spes invidiosa per annos ;
Pasitheae tu connubiis utere superbis,
nec tu Junonem speres dare posse mearum
nympharum quicquam, nec si velit ipse deum rex
vertet Acidalias nostro de fonte puellas."
Dixerat : ille graves tardis torporibus alas
solvit, et obscuris sensim circumdatus umbris
evolat, elapsas torquet qui plurimus undas
Arnus, et e viridi suspectat margine silvas.
Invenit ut varios volventem pectore motus,
factaque per multam repetentem plurima noctem,
insomnemque oculis, et cuncta futura videntem,
"Cur, inquit, Pandulphe, caput non ponis, et ipsum
Te reficis, grataeque negas parere quieti ? "
Dixit, et immensum defudit in alta soporem
pectora divinum : jacuit Pandulphius heros
membra levi dejecta deo devictus, et alto
corde sub increscunt magnarum oblivia rerum.
Tum Pater omnipotens aliud fecundius olli
auxilium parat, et variam simul advocat Irim.
"Iri, vides quantas clades stragemque minetur
Ausoniis veniens patrio Rex asper Ibero,
quem contra saevis fidens Pandulphius armis
crastinus ire parat, serae qui membra quieti
vix tandem misso potuit deflectere somno :
illum nulla Ceres, illum non ipse Lyaeus
adjuvat, at curis pascit se ingentibus ; olli
nectar et ambrosiam jubeo referre, cibosque
libet homo quos Divus edet : fas noscere Divum
munera, fas illi divini vescier auri. "
Haec ait ; illa nihil contra adversata, sed alti
vertice lapsa poli caelo se misit, Etruscum
castra petens rapido dea magna celerrima lapsu.
Conspicit armatos diverso in gramine edentes,
fumantesque locos : hos insedisse relictis

exploratores castris, hos ordine presso
membra levare solo ; cuncti, quod cuique caducum
sorte fuit, statione sua pro se usque morari
quisque volunt. Tum Diva duci divina sub alto
pectore defudit, validisque levamina membris.
Pristinus extemplo magnos vigor imbuit artus,
dulcis odoratae spiravit anhelitus aurae
vivaci sub corde micans, totumque replevit
corpus, et antiquos renovavit in ossibus ignes.
Interea Alphonsi nivea ad tentoria regis
praecones mandata ferunt : nihil ille relatis
obstupuit verbis, audacique ore profatur.
"Ite redite citi, ductorique haec mea vestro
dicta referte : Italum nihil est quod bella virorum
me moveant, non usque adeo me nota fatigant
proelia ; Parthenope, quam septimus addidit annus
imperio, hac Jove stante meo, non tale vereri
subsidium docuit, terris nunc quale paternis
duxit in Etruscas heros Pandulphius oras ;
dicite sive velit totis exercitus armis
concurrat, si mi populos conferre Latinos
apparat, aut nostro dirimi si sanguine martem,
non piget, ambo armis campo certemus in uno,
miles uterque vacet, positis quin spectet et armis
cui Deus, et cui fida ferat sua dextra salutem."
Talia dicta ferunt Pandulpho, atque ordine pandunt
omnia ; at ille hilari jamdudum fronte salutat,
agnoscitque Jovem, simul et sic ore precatur.
"Sic tu, summe deum , jubeas, sic horride Mavors,
tuque, Minerva, velis nunc tempus in arma vocari :
magnanimi gaudete viri, nam fortibus ausis
congredior soli solo in certamine regi
Alphonso, injustis Italos qui provocat armis.
Hic finis tandem belli ; me verius unam
hanc animam vovisse ferent pro gentibus almae
Italiae quicumque volent fera bella minores
mirari, et veterum censeri sanguine avorum.
Vos tamen arma, viri, vos arma crepantia cuncti
induite, et facto procedite in agmine, ferro
non minus accincti proceres, quam si horrida duri
Martis ad arma vocet totus furor ; ite manipli ;
insidias alii praelustrent, nequa latentes
barbara turba dolos meditetur, et obvius hostis
obtexat fraudes latebrosi in valle recessus."
Dixerat : ast Itali vario fremuere tumultu,
et gemitum ingentem tellus dabat incita magno
murmure ; tum fremitusque virum, vocesque loquentum
misceri, et varius volitare per aethera clamor :
haud secus atque olim cum Jupiter altus Olympo
intonuit, sonitus rediere per ardua vasti
omnia, tum pelago spumantia caerula tollunt
Icario in magno venti, Zephyrique, Notique
incumbant, imoque cient jam Nerea fundo.
Tum dextram intendit, populoque silentia jussit,
ductoresque videns nunc hos, nunc admonet illos,
tum siquem sumptis clamantem prospicit armis

ignotum, et tardo miscentem murmura vulgo,
talibus increpitans dictis castigat amaris :
"Infelix, quae tanta animo dementia vano
venit, ut alterius nolis audire loquelas ?
Imbellis, non hic Itali regnabimus omnes :
unus enim rex est, unus sit ductor Etruscum ;
cui Pater omnipotens sceptrum dedit, ille Latinos
imperio regat", et tali tum voce locutus,
arma humeris magni circumdat ponderis, omnes
ante alios longe lucenti splendidus auro.
Ut canis aurati fulgens decus Orionis
sidera multa micat superans, et crine minaci
ipse sub ardenti moribundus nascitur aestu,
debilibusque serit morbos mortalibus atros,
multigenumque animal, permixto et sanguine cretum
omne perit, periere canes in montibus albi :
talis erat fulgens pulchris Sismundus in armis
aureus, ut fulvo radiarent cuncta metallo
agmina : " Nunc vires Martis tentemus acuti,
ut videam validas quisquis jaculetur et hastas.
Pascat equos seu quis melius farragine pingui,
quisve pedum melior cursu, furtoque paratus,
aut bijugum levior currum conscendat, et arma
induat, aut galeam rapiat, clypeumque micantem.
Non equidem nunquam populis mandare quiescam,
numquam hodie ; donec stellis venientibus altum
nox subeat caelum, curruque invecta virum vim
dividat, atque animis, stimulisque ardentibus iras ;
et quoscumque procul cessantes litore cernam,
alitibus, canibusque feris dare frusta jubebo.
Vos timidos medio constringite in agmine, fortes
ante illos sistant ; seniores terga sequantur."
Sic fatur : fremitum magno clamore Latini
ore dabant cuncti, et campos, atque arva tegebant.
Non secus ac liquidis si quando exsurgit in undis
aequor, eunt rapidi per aperta sonantia venti,
parte alia madidis infert sese Notus alis
turbidus, Aeolio si forte e carcere missus
liber habet pelagus ; salit unda sonantia circum
litora ; tum scopulum adversum, tum saxea pulsat
dorsa Notus, fremit omne fretum, rupesque relinquit.
Sed jam fama volans saevos implerat Iberos
adventare ducem magnum, felicior alter
quo neque in Italia praesenti marte, nec usquam ;
multis quippe dolor stetit imis ossibus ardens,
multis ira modum super addita, multus ubique
clamor, ubique vagans agitat discordia vulgus.
Hos Italum virtus, illos movet inclyta tanti
fama ducis, movet Antiphaten, qui maximus uni
ante alios comes usque fuit per maxima regi
bella, bonus dextra, claris cui gloria factis.
Parta dabat magnum magnae virtutis honorem ;
consiliis haud inferior, cui fama nec usquam
futilis, est vanis primum quod crimen Iberis.
Isque, ubi magnanimum conspexit in agmine regem
Alphonsum, alloquitur dictis securus acerbis.

"Dicam equidem, veniamque dabis, rex optime, siquid
peccarim, pandamque libens quae mente locarim :
tu desiste manum committere fortibus armis
Sismundi, expertis dudum te credere factis
desine, nos Italum fortunae deme furenti.
Quod si nulla tuae tangit te cura salutis,
at patriae miserere tuae, miserere labantis
Hesperiae extremis terrarum nobilis oris.
Quid moror ? An patrios, si te mors atra, Penates,
occupet, arripiant Itali ? Prius o mihi tellus
ima dehisce ; prius Stygias illabar ad umbras,
quam bonus Ausoniis moriens Alphonsus in oris
hanc laudem Italiae, populisque relinquat Etruscis.
Sunt tibi bella gerant populi qui magna potentes,
praeque aliis aliaeque manus : tu vince paratu
ingenti, terrae atque maris pars utraque nostris
in manibus : quid bella times cum desidet omnis
Italia ? An patriis unus Sismundus in armis
fuderit innumeras, multo nec milite, gentes ? "
Dixerat Antiphates, dictis quem torvus iniquis
alloquitur pavidum turbati fronte Tyrannus.
"Antiphate infelix, quamquam tibi multa loquendi
copia, mitte loqui, nec regibus ista procaci
ore velis tandem populum objurgare per amplum.
Oh pudor ! Hi me igitur quondam quicumque secuti
ad patrias remeare jubent, proh Jupiter, urbes,
polliciti quondam, quaecumque ad bella vocassem,
ire palam, rapidisque domos circumdare flammis
Ausonidum, et longo committere proelia bello ?
Hosne morae piguit ? Maneant, dum compleat orbem
luna semel, populi ; bellis imponere finem
decretum Alphonso : regem ne reddite vestrum
omnibus aeternum me dedecus esse faturis.
Non tam arguerim vos, si mora longa fatigat,
Hesperidae, multos quos Jupiter altus in annos
distulit, at patrios tamen hic rediisse penates
turpe sit : o socii, bello durate supremo,
aque brevi spatio videamus ut omnia Phorbas
vera canat vates : etenim vidistis, Iberi,
vidimus hoc omnes, cum navibus aequora multis
teximus, atque Italis funesta paravimus arma.
Nec longum est : sanctos aris cum accenderet ignes
Jasius aurati redimitus veste sacerdos
fronde sub umbrosi pandentis brachia quercus,
quam penes in silvis surgebat plurima pinus
tonsa comam, et virides complexa cacumine ramos.
Ambarum in summo geminae sedere columbae
vertice ; quae viridi consederat altera pinu
alitis armigeri Jovis est pavefacta volatu,
in ramisque latens se frondibus abdidit atris.
Illam septenos volitans premit undique gyro.
Atque ubi septenos circumvolat ales in orbes
fugit, et aethereas it juncta columba per auras,
quam sacer in mediis Jovis armiger arripit euris.
Post autem sacra quae sederat altera quercu
ocior aggreditur, pavidamque eviscerat uncis

unguibus, et victor sublimi in vertice perstat.
Tunc Atlantiades : populi sperate superbi,
hunc finem belli caelo Saturnius alto
ostendit nobis, inquit : septem undique gyri
septem annos monstrant, septenaque tempora signant
queis bellare diu magnis continget Iberis.
Altera at Italia est, parvo conamine quam vos
vincetis, vestri teneant quae regna nepotes.
Talia Atlantiades, quae nunc peraguntur, Iberi,
durate, o proceres, donec Saturnia regna,
atque solo celsas Italum exaequavimus urbes."
Dixerat, et cuncti magno clamore ruebant
armati e vallo : veluti cum nubila tradant
cum rauco clangore grues, pontumque feruntur
trans gelidum, et longae glomerantur in agmine turbae
Pygmaeis mala fata viris, mortemque ferentes.
Ast Itali contra secum taciturna trahebant
agmina : primus erat pulchris Sismundus in armis
ante alios ; veluti ducit cum in proelia taurus
diversis armenta locis, cervice lacessit
insurgens ventos ; talem te rector Olympi
tum, Pandulphe, dedit populis decus esse Latinis.
Jamque adeo vicinae acies utrimque volabant,
illi clamantes, Itali sine more silentes.
Haud secus ac monti nubem protendit opacam
aerio Notus, et meliorem nocte latroni,
pastorique gravem, tantum distabat uterque
iret ut in primos tectis exercitus arvis,
quantum tela manu dubiis committeret auris,
aut lapidem quisquis torta ferit aethera fundi.
Extemplo primi turbantur, et horridus arvis
it globus, arripiunt campum, pugnamque lacessunt.
Hic hastam ipse tenens Italos secedere jussit,
et firmare gradum, quamquam jactare sagittas
instabant Celtae, glomerataque saxa per auras ;
quos tamen Alphonsus pugna revocavit ab atra
novit enim secum quianam velit inclytus heros
fari aliquid ; tum sic Pandulphi maxima proles :
"Vos haec, Hesperidae, vos haec audite, Latini :
cesserit haec Italis victoria si bona nostro
Marte, placet patrias redeant Taraconis ad oras
et Celtae et nati permixto sanguine Iberi.
Sin me me Ausoniis fortuna inimica nefando
invideat casu, si me pater ille deum rex
lumine jam cassum, jam dulcibus auferat auris,
bella gerant Italis invicti ferrea Iberi :
scit Pater omnipotens letum cui pendeat atrum."
Sic ait Ausonides ; populi strepuere frementes,
quos inter dictis rex est effatus acerbis.
"Nos quoque, si fas est, audite, rogamus, Iberi,
et magni Ausonii, quae Jupiter ipse sub auras
ferre jubet dulces : sancto favet ille tyranno ;
ab Jove talis honos : sacris haec foedera firment
Hispani Ausoniique viri ; vos ducite nigram
huc pecudem, proceres ; niveum mihi ferte juvencum
telluri, solique sacros, aliumque feremus

nos agnum insignem Diti, ne quis Jovis audax
rumpere sacra velit, densis dum se occulit armis."
Dixerat ; ast animis laeti fremuere Latini,
Hispanique simul, sperantes aspera tolli
bella diu incepta, et nullis exhausta trophaeis :
frenatisque feruntur equis, quibus omnis humo se
turba jacit, campoque viri statuuntur in aequo.
Inter utrosque soli spatium telluris opimae
signatur, quo meta viris, quo terminus exstat.
Tum Pater ipse deum claro sublimis Olympo
despectans acies, obliquo barbara vultu
agmina, sed fortes meliore fronte Latinos,
succinctam nimbo, gelidique in nube sedentem
Junonem alloquitur : " Quid adhuc, gratissima conjux,
quid dubitamus adhuc prisci de gente Quirites
et superesse viros, valeant qui fortibus armis
Italiam tegere, et veterum superare parentum
fortia facta ; vides quali virtute feratur
spumifero Sismundus equo ? Quem solus in hostem,
solus in Alphonsum primis se praestet ab annis ?
Ergo age, quandoquidem mea te te arcana fatigant,
accipe, Diva, meae quae stet sententia menti.
Nunc cupio aeriam demittere nubibus Irim
ventipedem, sacris ut foedera sacra solutis
incipiant primi violare sine omine Iberi."
Vix ea, cum fatur contra sic candida Juno :
"Convenit inter nos, quoties arcana patescunt
utrique alterius ; neque enim dare majus ubique,
nec praestare mihi potes, o gratissime, munus.
Namque ego progenies Saturni prima parentis,
inde tibi genus unde mihi : tua maxima conjux
dicta diu atque soror, superum regina Deorum."
Jupiter huic contra : " Tua me tua gratia, conjux,
flexit, et aeterno mihi te devinxit amore. "
Dixit : at illa deam vario circumdata nimbo
caeruleam vocat, et magni mandata Tonantis
pandit, et aeripedem caelo dea mittit ab alto.
Illa volat, terras et turbine adacta revisit :
conspicit armatas acies, atque aere micantes
hinc atque hinc populos, et latis agmina campis.
Hos Mars armipotens, illos agitarat Enyo.
Illa nihil speculata viros, solumque per omnes
ad Phorbanta venit, fuerat qui maximus illo
tempore cunctigenum sciret qui noscere Divum
consilia, atque modis scrutari somnia miris,
solus et Ausonias ipsum qui duxit ad oras
Alphonsum augurio fretus, quem Phoebus honorem
addiderat vati ; quoniam citharamque fidesque
is puer a primis olli sacraverat annis.
Hunc Dea semotum populis utrimque refusis
longaevum opposita deludit nube, proculque
amovet in solas nemorum loca tristia silvas,
ostendens illi populos, regemque secutos.
Agmine cedentes simulato : talia vati
objectat falsis Thaumantis filia visis,
donec eum in solas abducit litoris oras.

Hujus deinde capit formam, similemque figurat
se dea mortali : rari stant vertice cani,
pendula cum cana stant labra trementia mento,
sunt tremulaeque genae, tremulaeque est vocis imago
discors ; assiduo respirant ilia motu.
Venerat auxilio Libyca de gente Biaon
insignis pharetra juvenis, teretique sagitti,
montivagas agitare feras, cervosque fugaces,
nec non et fulvos solitus turbare leones
horridus, et rapidi perfultus pellibus ursi,
cui caput hirsutum malae texere lupinae ;
mille viros olim jaculis tremefecit acutis.
Hunc postquam videt adstantem dea talibus Iris
alloquitur praestantem animo, et virtute frementem.
"O Libyae virtutis honos, ubi certa, Biaon,
tela tibi quondam ? Pulsa est quo gloria famae,
qui nulli Libya solitus concedere ? Ubi arcus
insignes olim venatibus ? Ergo age Phoebo
tela favente jace, et pulchrum pete primus honorem ;
incipe quae cunctis facies gratissima Celtis,
Alphonso Regi prae cunctis grata, tuo si
ingenio sumptis pereat Sismundus in armis."
Sic effata, homini mentem convertit ad arma
insano, et nondum meditanti obscura deorum
consilia, ac vires Italorum et bella potentum.
Interea Ausonii, nec non Taraconia pubes
in medium lecti divosque deasque precati
sacra ferunt, sacrasque incendunt ignibus aras.
Tum rex extremis audax qui venerat oris
stabat, et Ogygii libabat pocula Bacchi,
sumebatque prior pateris spumantibus almi
dulcia dona soli, puroque ardebat in auro
nectare dulce magis Sileni munus alumni.
Tum super imperio multum rimatus anhelas
poscebat fibras : " Nihil illi fibra , nec arae,
nec prosunt Superi, cum sic prior ipse precatur.
Haec ego sive manu, sive armis foedera rumpam."
Tum caput hoc aliena manus cervice recisa
auferat, et victrix alienas portet in oras.
Vix ea, at Ausonides haec tali retulit ore.
"Jupiter Etruscum nemorum sanctissime cultor,
aethere qui celso regnas, ne cedat Olympo
sol prius oceani liquidas prolapsus in undas,
quam fugiant victi Tyrrheno in litore Iberi,
Alphonsique caput terra foedare cruenti
avulsum nostris manibus, da, maxime Divum,
da, Pater, et comptos in pulvero ducere crines,
perfusos myrrhi crines, calidoque metallo
contortos ; da praedones decedere capti
Italia ; da ne Celtas terraque marique
horrescant Itali : tibi tum de marmore templa
candenti statuam miris surgentia signis,
Daedaliis miranda modis, aedesque dicabo
urbis Arimineae in medio, quas barbarus omnis,
atque Italus stupeat ; da tantum vincere nobis,
et removere nefas." Dixit ; dulcemque Lyaeum

fudit humi patera, et breviter sic ore profatur.
"Sic penitus fracti sedes elisa cerebri
fusa cadat, quicumque prior pia foedera telis,
sive manu rumpet, madidas ut vina per herbas
ipsa cadunt pateris numquam reditura supinis."
Talibus ante aras armati foedera dictis
firmabant, varioque virum clamore fremebant.
Nec mora : praecipites ambo, nec territus usquam
in medium Hesperidum atque Italum processit uterque,
terribiles visu quassantes vertice cristis
surgentes galeas signis auroque decoras,
hinc Malatesta potens, illinc Taraconius heros.
Spectantes populos magnus stupor occupat omnes.
Olli indignantes secum, saevumque frementes
obsistunt contra dubio sub Marte laborem,
vulneraque inter se minitantur multa, ruuntque
alter in alterius geminatis ictibus arma.
Ac veluti silvam magnam petit advena taurus
arva aliena premens nemorosa per avia passim
diversis armenta locis trahit, atque ita late
optatos populatur agros ; timet asper arator
omnis, et in montes alii fugere juvenci ;
maximus ille autem silvis dominatur avitis :
huic inimicus atrox, sua qui postquam arva teneri
sensit, in oppositum fertur violentior hostem ;
tum pavidae siluere boves, siluere magistri :
haud aliter Taraconis honos, et gloria magnae
Italiae ingentes duris versantur in armis.
Hic vero Alphonsus durae fore dum putat hastae
vim solitam, Stygio multos qui miserat Orco,
hanc jacit : illa volans clypei septemplicis orbes
rupit, et in medio stridens umbone pependit.
Non tulit Ausonides, clypeumque abjecit, humique
cum clypeo telum defregit, et arduus ipsi
ipse manu Regi telum penetrabile torsit,
et summam clypei partem praerupit, et altum
gustavit leviter violato pectore corpus.
Conclamant Itali, laetumque ad sidera tollunt
murmur, at Hesperidum solvit genua omnia torpor.
Hic Malatestai certissima gloria gentis
magnanimus duris fidens Pandulphius armis
constitit in geminas alacris duo fulmina plantas
arrecto capite, et socios adspectat ovantes,
ense manumque onerat violento, ac vulnerat hostem
ter quater alternis agitantur in orbibus enses :
tum celer insurgens digitos Sismundus in imos
alte depressos habilem se flexit in ictus :
tum ferit ingeminans, tum pulsat anhelus utrimque
ardentem galeam signis auroque decoram,
buccula sed postquam de casside pene revulsa est,
ter ferit usque premens, fessum sed jam quater ensem
dum domat aere gravi, medium se frangit in ictum
ensis, et imprudens fragilis cadit, atque ita summo
fragmina delucent humero : non ipse caduco
ense, nec amissis juvenis deterritus armis
saevior ingreditur pugnam, et se se horridus ira

suscitat, ac Regem dextra petit alta minantem
vulnera ; tum manibus perstringit guttura junctis,
nunc galeam tenet, et conum premit ; ille nec auras
nec caelum potuit captis haurire sub armis,
sed trahitur manibus Sismundi digna potentis
praeda, sed attonitus dubiis effatur in umbris.
"Maxime dux Italum, cui Jupiter ipse precari
me jubet, et rerum fortuna celerrima, cujus
munere me victum potuisti cernere regem,
parce odiis ultra ; vivum, precor, optime, serva :
lata tibi variis quae sunt mihi regna sub oris
omnia victori cedensque volensque relinquo."
Sic ait : huic contra fatur Pandulphius heros :
"Regna meis armis, quae maxima multaque jactas,
desine deberi : trahere huc prius ante superbos
Italiae populos, tentoria nostra subito.
Illic, ni fallor, faxo nova foedera firmes."
Dixerat, et regem dextri laevique trahebat
afflictum, et miseris urgentem pectora curis.
At procul insidiis et multi fraude Biaon
cingitur in notas turbandi foederis artes.
Illum tum memorant incensum numine et ira,
arma nefanda manu et diras hausisse sagittas.
Arcum laeva viri, laevam cita dextra papillam,
hastaque prima manumque tenax, nervumque sonantem
contigit, at laevamque fugax arcumque sagittae
cuspis, et horriferas it stridula lapsa per auras,
et venit, et magni Sismundi in nobile corpus
figitur, inque humero dextro pennata pependit.
Maximus extemplo magnos dolor occupat artus ;
labitur, eque manu rex est avulsus, et usque
liber adit laetos violato foedere Iberos.
Hic Pandulphiades, postquam dolor ossibus imis
sedit, in hunc morem miseranda voce profatur.
"O Pater omnipotens, mihi cum miserabilis aevi
tempora pauca dares, meliorem impendere honorem
debueras : mortine manu dimittere regem ?
An vatiis caruisse dolis haec foedera rebar ?
Omnia credideram, quae nunc Notus horridus auras
jactat in aethereas : diris me fidere Celtis,
me decuit sacris sceleratam adjungere gentem ?
At tu, summe Deum, triplici qui foedera sancis
fulmine, qui saevos potis es punire Tyrannos,
respice mortales casus, et foedera firma
ipse tui melior dextri : nec plura, recessit
saucius. " Huic magnus magno Jove natus Apollo
adstitit, et nullis aliis perspectus eum dux
ipse manu juvenem socios ducebat ad ipsos.
Obstupuit visis Pandulphi maxima proles :
"Ecquis es, o Superum, claro qui missus Olympo
venisti in terras, nostros ut forte labores
adspiceres primum caelo requietus in alto ?"
Filius huic contra Latonae pauca Jovisque :
"Ipse ego progenies magni Jovis altus Apollo ;
non equidem, non te linquam Deus aequus inultum ;
nec minor insigni tua te victoria fama

miserit in populos, campo qui viceris isto
congressus soli solo in certamine regi ;
victor eris totas agitans in proelia turmas."
Dixerat haec magnus magno Jove natus Apollo.
"Ista quidem nobis gratissima, Phoebe, tulisti :
ab Jove cuncta, Pater ; sed enim grave vulnus inermem
me premit ; ipse tuum claro quin mittis Olympo
Paeona, qui medicas adhibet mortalibus artes ?
Sed venia Jovis ille Patris jussuque venito,
ne pater iratus Stygias detrudat in undas
illum etiam, ut quondam ; meministi cuncta, novusque
est meminisse dolor ; curvo cum litore fractae
defudere rotae juvenem, celeresque marinis
turbabantur equi monstris, rapidoque tumultu
Hippolytum fusis lacerum traxere quadrigis,
quem tuus exanimum Stygio revocavit ab Orco
filius. Omnipotens sed enim indignatus, ut illum
fulmine terrifico Stygiis intorserit undis.
Proinde Jovis magni quae sit sententia primum
disce, decet ; posthac sanctis me Paeonis ulnis
siste, pater, gnati : prosit mihi laurea serta
gestasse, atque artes pacidarum hausisse Sororum."
Huic contra placido respondit Cynthius ore :
"Jupiter Oceanum dapibus visurus edendis
Aethiopum ad fines primos venit usque piorum,
bissenosque dies, nec plus remoratus, Olympum
ibit, ubi assiduis celebrantur limina divis.
Hic ego magnanimi quae sit sententia regis
et scire, et nato possum mandata referre."
Dixerat haec magnus magno Jove natus Apollo.

## LIBER SECVNDVS

H_2 v.1 Interea ipse furens murorum impulsor anhelos
exhortatur equos Mars horridus, atque flagello
sanguineo insultans, duros in proelia Iberos
suscitat, ac multam primo certamine caedem
qui furor, et qui saeva vocat minitatur Erinnys.
Extemplo disjectae acies, confusaque turba
omnis, et in turmas equites sparsique manipli
erravere locis ; stetit imperterritus unos
saucius Ausonides, quamquam dolor ossibus imis
tardet anhela novus torpentibus ilia nervis ;
sed timuit dubio temeraria proelia campo
conserere : "O Socii, non haec mea foedera : dextri
hac ego pro vobis communia jura refellam.
Desinite, ac differte minas, iramque sequacem
ponite dum redeant vires, dum tela lacertus
saucius hic vibret, qui vulnere pressus acerbo
me prohibet victum violato in foedere regem
huc huc ante duces mediis subducere Celtis."

Haec Pandulphiades : Itali stupuere morantes.
Credidit esse dolos facto Taraconius heros,
jussit et ipse retro populos aciesque referri.
Tum Pandulphiades pennati voce profatur :
"O decus Ausoniae, miles, quo sospite nondum
vincor, ait ; proceres, expertae robora pubis,
barbara turba ducem violato foedere vestrum
insidiis ingressa suis desistere bello
cogit, et invictum Volaterrae ad moenia nostrae
ferre pedem, et dirum curari vulnus ; abite,
linquite jam testes disjecti foederis oras :
sit pater ipse Deum testis, sanguisque sacrorum
agnorum, et recti mens conscia fallere dirum
quam sit, et ipse Deus finem feret omnibus ultor,
et capiti ille suo insidias intenderit illas.
Neve futura putent sero quascumque daturi
supplicia horrebunt poenas ; majora parabit
longa dies scelera infidis : ego cuncta capaci
mente fero prudens ; animus mihi cuncta futura
ante oculos posuit : jam jam cum sanguine sparsum
litus abundanti caesis sudabit Iberis.
Ille dies veniet cum Jupiter Aegida summo
aethere terrificam monstrabit, et omnibus iras
ipse acuet populis. Superos quicumque fefellit,
ille, deo turbante, fugae se credere turpi
et volet, atque mori frustra tentabit : at, o vos,
indigni hac mulcta, Superi, quos sanguine nostro
vana pios sacris violavit Iberia falsis,
ferte precor memori vos pectore tristia regis
facta feri : vestra haec injuria, talia numquam
imperfecta, precor, populis differte futuris."
Interea Alphonsus Populonia moenia duro
Marte petit, pavidam cupidos qui ducit ad urbem
agmina tota viros, vicinumque omnibus aequor
viribus obtexit jam proni in bella carina.
Parte alii ante equites saevos praemittit Iberos
laetitia incensus, vanoque elatus honore.
Haud secus atque uncis avulsus ab unguibus anser
altis ante sacri volitantis ab aethere praeda,
aera liber habet tenerum jam tutus, et alis
ventisonis raucas compellit ad alta cohortes
flumina, sive lacus calamo crepitante sonoros :
non aliter pavidam concussit gentibus urbem
innumeris veniens patrio rex asper Ibero.
At miseri postquam est exercitus omnis Etrusci
ante oculos, scandunt muros, atque alta capessunt
moenia ; custodes portarum claustra canoro
cardine rauca cavis stridentia turribus addunt,
armatumque vident armati cominus hostem.
Quis canat, o Musae, caedes, stragemque virorum,
quae nunc Celta ferox, Italus quae funera fortis
ediderit, quem quisque ducem dux unus adibit,
aut quem quisque virum vir legerit ? Omnia, Divae,
nostis enim cunctos, vati memorate canenti.
Primus ut ante alios fuerat Taraconius heros
vectus equo, Numidum quem rex donarat, anhelo,

Dystychium in fossis volventem ac foeda cadentem
occupat, obversaque solo transfixerat hasta.
Occidis, o juvenum pulcherrime, clara Metauri
progenies, quem nympha deo permixta fluenti
edidit in teneras jucundi luminis oras.
Non tibi vita patris, cui clausa est janua leti,
munere servata est ; non te Driopeia mater
eripuit duris scelerati faucibus Orci.
Tum vero accelerant omnes, urbique propinquant,
clamoremque ferunt convexi ad sidera caeli
hinc Tyrrhena manus, illinc Taraconia pubes.
Tum procul horrifico strepitu cava concha tremendum
rauca dedit sonitum, crepuitque per aethera clangor :
nec minus incensi bellorum pectus amore
ingenti incumbunt omnes, atque omnibus idem
ardor in arma simul gliscit praesente Tyranno.
Pars aditus caecos et moenia scandere furtim,
pars in aperta parant animas jactare pericla,
atque alii subiti fossas implere ruina.
Illis tela sonant, arcus, et Apollinis arma ;
his glandes referunt liquefacto murmura plumbo.
At Lydi celsis miseri pro turribus adstant,
missilibusque procul Celtas arcere furentes,
infensumque parant detrudere moenibus hostem,
saxaque praecipiti devolvunt grandia dextra.
Turbidus Haemophages cristi praeclarus Iberi
tradit equum Clytio, comitem quem miserat illi
dulcis Ilerda, domus cui clara, paterque superbo
sanguine natus, avis celeber ; pedes ipse sub ipsis
moenibus et scalas in propugnacula poscit,
atque in procelsas subjecit lampada turres
ardentem, et pariter tabulasque virosque sequentem.
Tum juvenum fera corda micant, perculsaque vulgi
pectora laetitiaque fremunt, plausuque sonanti
seque suosque trahunt, et moenia longa coronant.
Ac veluti subito cum fulgura murmure rumpunt
aethera nubiferi glomerantur grandine nimbi,
ante Notumque volant toto cava nubila caelo :
talis ubi ad muros totis discurritur arvis,
insequitur longe diversa per omnia clamor.
At contra duris sudibus Populonia pubes
desuper audaces deturbat ab aggere Celtas,
occidit Haemophages incertis obrutus armis,
et Lycus ipse dedit arcum cui magnus Apollo,
sed non divini defensus Apollinis armis.
Namque ut tela manu demisit ab aggere Tarcon
fervidus, ingenti patriaeque incensus amore,
conjugis et carae memor, alta Lycoque, Tagoque
vulnera bina sinit fracto non vana cerebro :
quos ut functa vident dulci duo corpora vita,
indignata magis manus omnis, et omnibus idem
additus ardor agit stimulos, nec tela, nec hostem
respiciunt, sed caeca ruunt in proelia, ducit
quo furor, et superans semper Mavortis imago ;
nec requies datur ulla viris : toto agmine caedes
alterni virtute Italis, Celtisque remittunt

nunc hi, nunc illi ; mora nulla volantibus hastis.
Ac veluti medio concurritur aetheris actis
seditione apibus, cum tecta relinquere avita
est animus, cum densa vocant in proelia reges
agmina, et undantes aliae se pumice promunt
in cuneos gens dura alios, contraque remittunt
murmura, stridentesque cient clangoribus alas,
dira veneniferis mutantes spicula rostris :
haud secus Hesperidae atque Itali concurrere telis
omnibus ; ante alios insignis Fanius armis
impiger Hermophilum vallo dejecit ab alto,
atque in praecipites deturbat ab aggere fossas.
Ast illi, ut jacuit limosi turpis in ulvi,
surgenti frustra duro ferit ilia ferro
cuspide projecti tabulatis Arnus ab altis,
infixitque solo, repetitaque abdidit ulva.
Quid tibi fama, puer, primis praedulcis ab annis ?
Quid domus, atque genus proavorum nomina regum
tectus arundinibus nullo decorande sepulcro
nempe jaces : non ipse parens, non optima mater,
non socii tua membra legent : proh dura furentum
praemia ! Nam tantum nostrae, tua numina, Musae
te referent : tibi nostra satis solacia ; quando
digna damus forsan venturi carmina fama.
Nuntius Alphonso Regi defertur apertam
esse viam, horrisono qua proxima moenia ponto
diruta paene jacent : tum sic Taraconius heros
disjectum volat ad murum, Lydosque superbi
clade premit miseros, multis et funera dextri
mittit, et e muris trahit atra in fata cadentes.
Ac velut ille lupus stabula acer adortus aperta
ante pecus mutum pleno detraxit ovili,
quam veniens pastor caulis avertat ab altis ;
ille quidem immanis non jam minus, undique tentat
prendere lata manu dejectis moenia Lydis.
Verum ubi jam prodesse nihil fraudesque, dolosque,
nec videt adversis hostem concurrere fatis,
evocat effusas tentoria ad alta cohortes.
Illi terga suis obvertunt hostibus omnes,
et regem cuncti fossis petiere relictis.
Quos ubi convenisse videt, secum ante volutat
dicendum quodcumque putet, qui suadeat arte
pugnandum, atque Itali longum tellure morandum :
atque haec in mediis sic est effatus Iberis.
"Ille ego sum, proceres, frustra cui nulla voluntas,
nulla adversa cadit coepto fortuna labori :
incoeptis opus est audacibus : omnia cedent
tentanti Alphonso ; quid enim memorare juvabit
Parthenopen, aliasque urbes, quos Africa honores
praestet, et occiduis qui Sol se proluit undis,
qui tepet Oceani, qui caerula Tethyos ora ?
Omnia sunt nostris loca debita marte trophaeis.
Reliquiae faciles Italae mihi gentis Iberos
tardabunt toties ? Sua quam discordia nobis
objicit ? Idne sat est, bellum quod triste videmus
Italiae commune scelus ? Ligus omnis ad arma

Euganeusque ruit. Bello dum saucius hostis
abstinet, usque vices dum non volvenda timendas
fert fortuna, viri, fatis pugnate secundis.
O veterum gens prisca virum ! Cum crastina primum
aurora e roseis fundet se lutea bigis,
omnibus obsideo Populonia viribus urbis
moenia Tyrrhenae, nec machina ahena volutis
cessabit saxis, nec ferreus excidet horror
interea, et subitis lapidum tormenta ruinis
audiet Ausonius caelo crepitare recusso.
Hanc ego si capio Fatis auctoribus urbem
cetera cuncta jacent manibus regna Itala nostris.
Hic mihi regna, domo et patria procul urbe relicta,
optanda, et placitis vivendum mollius oris :
hic artes, habitusque virum, linguaeque facultas
clarior, hic species, et lati regia mundi
Roma decus rerum, quae vos, quos vicerat olim,
sentiat ultores post saecula multa repertos."
Dixerat Alphonsus ; tum turba soluta vocabant
quisque suos ; atque hinc tentoria ad alba redibant,
queis fera diversas agitabant pectora curas.
Omnia magnanimi regis praecepta moventes
mente animoque viri, vario sermone vicissim
multa serunt, multamque trahunt in singula noctem.
Insidias alii varia regione locabant,
pars aditus dubios, et moenia longa coronant,
occupat hos nigris leti germanus et alis
somnus, et ignava concludit membra quiete.
Postquam cuncta silent, magno Jove natus Apollo
fertur ad Oceani magni simul arva beata,
et Fortunatos felici ex arbore lucos,
reddit ubi assiduos, tellus inarata maniplos
sponte sua ; incultis non ulli obnoxius arvis
liber purpureas ubi candidus induit uvas ;
collis ubi aeternum flava vestitus olivi
frangit utrimque cavas nemora inter frondea silvas,
atque hic ante Jovem non inscius altus Apollo
adstitit, ac genua incanumque ex ordine mentum
amplectens, tales mittebat ad aethera voces.
"Summe Pater Divum rerum cui magna potestas,
tu mihi quae posco si justa, petendaque Nato
munera promittis, genua ista ego sancta relinquam
felix et voti compos, Natumque videbis
numquam etiam ingratum, quem Delos, et inclyta sacris
Cilla colit, Tenedosque ferax, Chrysaeque juventus,
et Patarae sedes, Grynaeaque templa, Clarosque,
atque Lycaoniae servit cui prisca Zeliae
regia. " Cui placido respondit Jupiter ore
subridens genitor : " Quid enim, pulcherrime divum,
non dederim ? Sana quid enim tibi mente negarim,
Phoebe, genus nostrum, Latonae ac lucida proles ? "
Filius huic contra Latonae pauca suusque :
"Nota tibi quonam statuat Fortuna loco res
Pandulphi magni, diris quem Barbarus armis
excipit, insidiis et multi fraude Biaon.
Hunc ego certe Italum Ductorem, et gentis Etruscae

rebar adire deos, et tangere sidera fama.
Quare age, namque potes, caelo demitte sereno
Paeona, qui medicas adhibet mortalibus artes."
Sic ait ; ille autem : "Quid me tua jura rogabas,
nate, mihi aeterna vitae jucundior aura ?
Mitte tuum ad juvenem de summo Paeona caelo ;
ille quidem dignus tali cultore, sed arte
indignus tali : sed non impune lacessent
regna aliena truces populi, Celtaeque superbi.
Paeona sed quam mox magno mittamus Olympo."
Dixit, ut omne levet Sismundi vulnus : at ille
inde patris celerata ferens pia jussa per auras,
devolat in terras, docti quem forma Sophoeni
vana tegit : non ille deus, non ille, Coronis
quem peperit, visus ; vestes succinctus honoras
constitit ante virum ; cui sic Pandulphius heros :
"Docte Sophoene, dedit tantum cum munus Apollo,
haec ego pro vestrum communi ferre salute
non renui ; fer opem : si me dimittere salvum,
si potes Italiam solus servare cadentem,
non auri, argentique simul, quae copia multa
est mihi, defuerit merito sua praemia tanto."
Vix ea, at ille nihil persuasus munere, verum
imperiis majora Patris praecepta volentem
cogunt, et variis infigunt omnia curis.
Tum sic orsus ait : dubitas an, maxime ductor
Ausonidum, frustra magno Jove natus Apollo
ad tua per somnum me misit limina, cum jam
nocte soporiferi carpebant fessa soporem
membra mihi, et placidos fundebant pectora somnos.
Eia age ne dubita magnorum ductor Etruscum :
nec plura ; inde tuo succinctus more, profundi
vulneris inspiciens os latum, terque quaterque
abstersit dextra leviter mulcente cruorem
jam siccum, et dulces defudit in atra liquores
vulnera, in Eridani quas margine legerat herbas,
Apennine tuo quas vertice vellit, et alto
Peliaco, Ossaeoque revulsa cacumine passim
gramina, quas Crete, centum quae sustinet urbes,
dives alit teneras, laetis radicibus herbas.
Quos ubi composuit succos, latumque replevit
vulnus, abit dulci pulsus dolor ipse liquore.
Ocius ille cava vagina sustulit ensem
fulmineum, et solitas sese explorabat ad artes
arduus, atque rotans teneras diverberat auras.
"Docte Sophoene, dedit tantum cui munus Apollo,
adspice quam sancta doctaque levaveris arte
vulnus, ait, nostrum : contra cui talia Paeon.
Ille ego, quem genuit magno Jove natus Apollo,
quem peperit Phoebo nimium dilecta Coronis."
Dixit, et in tenues fugit intractabilis auras,
verticibusque vagis magnum conscendit Olympum.
Obstupuit visis Pandulphi maxima proles,
ardet in arma magis, totamque in proelia mentem
arrigit, et curis manifesta subire deorum
maxima coepta ratus, multi se suscitat ira,

exsuperatque animis ingentibus : ac velut ille
saucius ante leo Poenorum in montibus olim
mille animos secat impatiens, gaudetque timendo
conscius, aut meminit capream stravisse fugacem,
aut sperat silvis candentem avertere taurum ;
talis in Alphonsum regem Pandulphius heros
aestuat ingenti furiarum flumine et ira
terribilis, totaque vagans fremit aureus aula.
Hac et in urbe fremunt vario rumore superbi
Italiae populi, Martis densissima, saepes,
quique tenent dulces colles, atque arva rigantis
amnis Ariminei, valles, camposque propinquis
fluctibus adjectos sueti felicibus armis.
Hic qui Flaminias vertebant vomere terras ;
quos Apennini de vertice Sapis opaco
dividit Hadriacas fluvius proclivis in undas ;
qui nigros latices pluviis turgentis Isauri,
quique, Metaure, tuas potant sub collibus undas
Picenis in agris, et amoenos agmine saltus
qui cingunt, praedas soliti raptare recentes,
montivagasque agitare feras, aprosque furentes ;
Gallorum quos Sena gravi pavisse palude
creditur ; at post hos montani protinus Umbri,
Tuscorumque manus, quos magna Fluentia pascit,
quos Volaterrani misere in proelia Patres,
Alpheaeque potens sed Graia colonia Pisae :
cetera nam legio campis tendebat Etruscis.
Talia magnanimo parebant omnia regi
agmina : sed postquam stellas Aurora micantes
expulit, et magnum flammis implevit Olympum,
extemplo ad Lydum muros Taraconia pubes
fertur in arma volans, animis audacibus ardens
tringere tela manu, mortes miscere cruentas.
Non tantum fremit unda maris, pontique sonori
turbida spuma salit, cum marmora rauca reclamant ;
non tam flamma furens summis in montibus altas
incidit in silvas Borea miscente fragorem
horrisonum ; neque enim tantum lauri alta comarum
bractea vibrantum ventus declinat : eunti
subsidunt virgulta Noto, tonat humidus aether
in gremium terrae largos cum discutit imbres,
cum crepitant dura glomerati grandine nimbi.
Tantus in obsessos heros Taraconius hostes
fertur, ut ira graves animis immiscuit ignes
felle tumente jecur, furiisque aspersus amaris
terribilem rutilo succensus lumine frontem
evolat, et nebulis, et pulveris obrutus umbris,
cui galea ardenti cristas gerit aurea cono,
Getulus quem portat equus, cui candida frontis
pars oculos supra micat aurea lora retorquens ;
alba pedum pariter vestigia, lataque in armum
it juba nigranti dextrum, tum naribus acrem
dat patulis flatum, et duris terit ora lupatis.
Stare loco impatiens, sonitu exsultare tubarum
primus, et arrecti campi quatere aequora cauda.
Talis erat Balius, vel magni Xanthus Achillis,

quos peperit Zephyro pratis Harpyia Podarge
Oceani propter depasta fluenta reposti.
Hunc postquam ante alios duris calcaribus urget,
illum tota phalanx laxis imitantur habenis.
Ut ventum ad muros, Alphonsus maxima jussit
muniri ad subitas lapidum tormenta ruinas.
Aerea tum rigido completur machina saxo,
sulphure tum clauso tristi medicamine, diri
pulveris ardentes educit in aethera fumos.
Tum vero ad strepitum subito tremere omnia motu,
dant strepitum montes, toto tonat aethere fractas
involvens sonitus : tremefacta per ardua voces.
Hoc non magnanimi jecerunt turbine Graii
grandia saxa super periturae moenia Trojae ;
hoc non Roma potens rerum, fortisque Saguntus,
non Poeni, non magnanimum rex laetus equorum
maximus Aeacides, cui tantum Epiros honorem
praestat adhuc, non Pellaeo stirps tanta Philippo
edita : verum aliis inventum tale per oras
diversas jam tum, et totum compleverat orbem.
Ergo ubi terribili sonitu, subitoque fragore
saxea flammifero moles emissa camino
impulit adversos titubantia moenia muros,
destituere metu mentes, animosque gelanti
corde premunt, nullamque audent sperare salutem
rebus in afflictis, extremoque omnia fato
seque suosque parant, mortemque evadere nulli
Lydorum est animus ; muros tamen, atque superbas
Marte tenere minas suprema in luce recusat
nemo hominum : sed enim sumptis jam Fanius armis,
subsidio tibi quem misit Populonia forti
milite stipatum patriis Sismundus ab oris,
saevus adest, pavidamque vocans in proelia gentem
increpat attonitos summo in certamine Etruscos.
"Quo metus ignavos, quo duri martis imago,
vana refert, cives ? Terraque marique tuendi
sunt nati, et dulces peramatae conjugis ignes.
Parte ab utraque parens vobis tutandus : eundum
per medios Celtas, et saevos agmine Iberos.
Mox Italum ductor Pandulphi maxima proles
ipse aderit forti cum milite : vincite primos
aggressus, juvenes : praeceps Alphonsus in ipso
principio belli ; quem si fortuna morantem
magnanimo reddat Sismundo, moenia frustra
vestra quatit, teneras strepitu dum territat auras."
Talibus attonitis pridem mens una furentis
Martis amore redit : trepida in praecordia cuncti
una igitur fremuere viri, quos ardor in arma
unus agit cunctos nudo decernere ferro,
machina nec prohibet projectis aerea saxis
stare viros summo minitantes omnia muro.
Occidit immanis collisus pondere saxi
Euphilus ut muros tentat conscendere : at illum
magnanimi Celtae duris subducere saxis
certabant ; Itali contra detrudere summis
viribus, invisoque viros donare sepulcro.

Tum pariter tabulata Itali, murumque labantem
tormenti pulsu crebro solvere : cadenti
fit strepitus, quantum pluvio tonat altus Olympo
Jupiter ardenti cum mittit ab aethere fulmen ;
corporaque ut fuerant lapsuro subdita muro
occubuere gravi casu, ignotoque tumultu.
Tum gemitus tollunt convexi ad sidera caeli
et Celtae, et nati permixto sanguine Iberi.
At vero Ausonidem spes addita mentibus omnis,
omnibus unus amor coepto defendere bello
moenia, tum muro tabulasque trabesque reponunt,
et terram obtusi condensant aggere muri.
Non aliter, quod fama refert, Caeusque, Pholusque
optavere Jovem capto divellere caelo,
cum pater ipse deum triplici cava nubila telo
rupit, et audaces dejecit ab arce Gigantas
frondosum umbrosae supponere Pelion Ossae
conatos, superisque Deos avertere tectis.
Hic ubi destituit Celtas fortuna superbos
mutarunt animum, et mentem flexere priorem,
ire dolis lati subter fundamina campi
aggressi, occultisque domos intrare cavernis
dum pugnam miscent alii, dum proelia tentant.
Agnovere dolos, et opacae fraudis hiatum
perspexere Itali ; multaeque ut forte lacunae,
stagna antiqua, manent, latices solvere morantes,
Barbaricas subito qui replevere latebras.
Defluxere undae, et late occuluere latentes
ingressosque solo Celtas, miserabile longe !
Mortua tum tumidis haeserunt corpora fossis.
Tum vero Alphonsus subitas exarsit in iras,
rursus in arma magis fremit, indignansque furenti
corde tumet, fortesque volans impingit Iberos
moenibus : " O Juvenes, nunc nunc pugnate ; quis, inquit,
primus erit vestrum medios animosus in hostes
qui ruat, aut muros Tyrrhenae protinus urbis
scandat, et ancipites trahat atra in funera Lydos ?"
Talia cum dixet, cunctis in mentibus ardor
immensus laudum sedit : tum clamor Olympo
tollitur ; irrumpunt strepitu, fremituque frequentes,
rursus et obsessis incumbunt agmina muris.
Nec minus et magni Sismundi martia pubes
opposuere aciem : prae cunctis Fanius hostem
turbat, et hinc duris capita alta molaribus aequat.
Ille animos Italum dictis regit ; effera Celtis
accensis ira Pandulphi bella minatur.
Hoc magis impulsi furiis bacchantur Iberi,
certatimque parant mediis occumbere fossis.
Fanius Alphonso misisse volatile telum
fertur, at ille videns celeri vitasse recursu.
Tum strepitu ingenti revoluto machina saxo
intonat aere gravi, vastoque remugit Olympo,
atque minas celsi contundit turbine muri,
ingentique fuga totam penetraverat urbem.
Parte alia densis Hispani navibus alti
litora curva maris remo veloque volantes

attigerant, geminasque simul, quae forte triremes
subsidio obsessis ibant, cepere cruento
Marte ; Italum multos Tusco mersere profundo,
multos remigiis servarunt tristibus aptos.
Quod scelus ut cives videre, labantia rursum
corda repente cadunt ; fit tristis ab aequore clamor,
ac tellure simul : pariter fremit undique Mavors
turbidus, inde soror Martis Bellona furentis
sanguinolenta ruit, terra certatur et alto
non sine caede virum multa, tepet humida fuso
sanguine terra recens, vacuas it stridor ad auras
telorum, et duro resonant hastilia ferro.
Haec dum cuncta gerunt Itali, Celtaeque superbi,
interea Ausonidum ductor fortissimus arma
induit, ingentesque animos attollit, et iram.
Corde fero occultam volvit, totoque remiscet
pectore tum penitus disjecti foederis aras.
Quippe ea causa virum victorem signat, et illum
in primis tanto suasit concurrere bello.
Ergo ubi certa animo sedit sententia, pugna
vertere ab obsessis Alphonsum moenibus urbis,
ipse jugo oppositi montis defertur ; at illum
cuncta manus Procerum tacitis imitantur habenis,
perque diem noctemque viae indulgere frequenti
agmine praecepit : cuncti sub nocte per umbram
telluris fuscae nigram silvasque, cavasque
convalles penetrant, donec jubar extulit alto
Lucifer oceano ; saevos cum vidit Iberos
ipse Italum ductor, Pandulphi maxima proles,
tendentes late Tyrrhenis maxima campis
castra simul, simul obsessos videt undique Lydos.
Haud procul hinc collis flava vestitus oliva
imminet insurgens, caeloque occurrit aperto
plurimus, et muros Tyrrhenae despicit urbis.
Occupat hunc Italum ductor fortissimus imas
metitus valles, oculis vigilantibus imum
despectans late campum : via lata recurvum
circumdat montem : studiis ingressus et astu
fallere turbatos subito certamine Iberos,
saepius ipse jubet captum circumdare montem
agmine non raro, rursumque remittit in altum
occulta regione viros fulgentia montem
agmina, quae toties redeuntia plura videri,
quam ferus Iliacas duxit Menelaus ad oras.
Ergo ubi per solem surgentem lucida cernunt
arma Italum Celtae, subito torpore juventus
barbara diriguit, fraudisque ignarus et artis
palluit Alphonsus prospectis eminus armis
ordine perpetuo fulgentibus : acrius illum
praeturbant equites missi, trepidumque retardant.
At Lydi ut primum videre micantia magni
agmina Sismundi, clamoribus aethera complent,
Pandulphumque canunt : perculsus imagine tali
quos agat in subito venientes mussat, Iberos,
anne Italos, quondam quos vicit marte superbo,
Parthenopea, tuos longo certamine Cives ?

## LIBER TERTIVS

H_3 Nec minus interea divum pater , atque virorum,
culmine pro celso vasti sublimis Olympi
magnanimum alloquitur sedato pectore Martem.
"Nate virum exstinctor, belli violenta potestas,
nate furor nimium mortalibus addite curis,
sanguine qui fuso crudelia pectora solus
imbuis, et muros tremefactaque moenia quassas,
cernis in adversos heros Pandulphius hostes
ut ruat, utque memor violati foederis, omnes
ante alios durae properet se credere pugnae ?
Ille quidem, ille tui de sanguine, certa Quirini
progenies, prisca deductus origine gentis ;
quod genus Idaeis Phrygiae Venus edidit oris
mortali Dea mixta viro, quam junxit amore
ipse sibi Anchises in aquosae vallibus Idae ;
maximus Aeneas heros unde ortus, et unde
inclytus Albanae memoratur conditor urbis,
Romanique duces, et longi maximus auctor
Julius imperii, nec non Augustus, et omnes
Italiae proceres, totum defluxit in orbem
nobilium unde genus, nec non Pandulphius heros
Hectoreus ductor, patriis Sismundus in armis,
qui pius infestos detrudere litore Iberos
Tyrrheno, justi juvenis contendit in ira.
Tu semel Aenean Aetolis eripis armis.
Huic quoque, si qua ducis tanti te cura remordet,
aeternum, Gradive, decus largire, laboris
praemia certa novi : primo in certamine soli
sis comes, ac trepidos turbes animosus Iberos."
Dixerat ; ille gravem thoraca indutus, anhelos
jungere jussit equos, ducunt quos tristis Erinnys,
et Furor, et Rabies, et pulchri gloria Leti.
Illi autem ardentes pariter, raucumque frementes
pulverulenta gravi pulsant sola concita cornu,
pectora lata, pari pariter vestigia gressu
prima pedum juncti ; quos ut conscendit, in auras
provolat aethereas, vastumque relinquit Olympum.
Fulmine terrifico cristata casside longe
fulget, et aethereis caelum secat aureus armis.
In mare quantum oculi possunt spectare sedentis
rupe viri vasta caelum mirantis apertum,
tantum Martis equi laxis populantur habenis :
nec non mille viri quantum clamore supremo
lustra sequuntur, ubi silvis venantur in altis
aut aprum, aut fulvum venientem a monte leonem
tantum voce sua vacuas Gradivus ad auras
aethera terrificis clamoribus impulit omnem.

Tum vero tremefacta virum quatit inscia corda
horror, et ancipites trahit atra in bella Latinos
conscia tum recti virtus. Sententia menti
omnibus est muris sceleratam avertere gentem.
Contra autem Celtis venientes pellere ab omni
obsidione viros, Italum quos maximus arma
Alphonsi contra tumulo mittebat ab alto.
At longe praemissi equites in castra ruebant
miscentes late turbatis omnia Celtis
congressu primo multam sine nomine caedem.
Paulatim e capto referunt vestigia vallo,
quos non parva manus castris irritat apertis
cedentes retro : sed versis frontibus hosti
saepius, una abeunt ; nam jam Pandulphius heros
agmina densa suis adjungit et obvius armis,
spumifero praevectus equo, secat agmina ventis
ocior, atque aquilam trepidi fugiente columba ;
Antiphatenque volans, quo non velocior alter
venerat Ausonias Numidum bellator ad oras,
ense gravi media stravit sublimis arena ;
principium belli faustum, Lamyrumque, Cronumque,
dum redit, et medios irrumpit turbine Celtas.
Tum vero toto desaevit in aequore Mavors
turbidus ; addensantur enim Celtaeque, Latinique,
Etruscique duces, Picenisque addita turmis
agmina Gallorum veterum, Senonumque nepotes.
Parte alia acre genus Celtarum, barbarus hostis,
et Numida, et Getulus adest : Taraconia Regi
tota phalanx juncta est. Halium Sismundus ovantem,
sternentemque viros, et prima in bella ruentem
excipit, et multi moribundum caede reliquit.
Illum animam efflantem, vel sanguinis atra vomentem
flumina calcat humi rapido gravis ungula pulsu.
Viscera rapta pedum cornu foedantur : at heros
vidit ut Alphonsus collatis cominus armis
bella geri, et toto misceri proelia campo,
deserit obsessos turbato milite muros
Lydorum, atque alios fertur violentus in hostes,
ardentesque oculos nunc huc, nunc injicit illuc
praecipitans, totamque ferens in proelia mentem
advolat, atque Italis minitatur dura superbis
proelia. Contra autem dictis Pandulphus amicis
hortatur socios : "Itali fortissima semper
pectora, quos mecum voluit Fortuna superbos
Hesperiae populos nostris detrudere terris,
hic nunc ille dies nobis speratus, et illud
tempus, in arma viros quo ducere justa jubebat
Jupiter ; audendum est : prima haec victoria ; coepto
cedite ne socii : per vos, carosque Penates,
optatosque patres, dulcesque ante omnia natos,
per mea bella precor totum jam clara per orbem,
ne spolia ulla legant Itali, dum proelia latis
miscentur campis, neu praeda moretur Etruscos
amittenda semel : communia praemia sunto
omnibus ; arma viris pariter rapiamus, equosque,
Tyrrhenumque solum. "Sic fatus, in agmina magni

advolat Alphonsi laxis Melanippus habenis
magnanimus quem portat equus : tremit horrida tellus
aere recussa gravi, ac rapido strepit ungula pulso.
Arduus ille gerens annosam a monte cupressum
obvius Androphono deflexit grande cruento
pectore robur, equum ante urgens, thoraca, gravemque
loricam, et lato trajecit vulnere pectus.
Ille autem foeda jacuit dejectus in herbi,
pallenti donec paulatim e corpore vita
effugit ad Stygias Erebi implacabilis umbras ;
hic vero effracto hastili Pandulphius ensem
fulmineum ante rotans, media inter tela per hostes,
atque per arma viam ferro facit : omnia cedunt
urgenti : huic galeam sublato cornua cono
bina tegunt, visu horrendum ! Tegit aureus armos
loricae squalentis honos. Gradivus acerbum
ceu fremit ante Getas, rapidoque in proelia motu
Thracas agit furiis ardentes ; talibus armis
emicat antevolans, populosque in bella Latinos
urget. Ubi in pugnam totis concurritur armis,
conseriturque manus certatim, nulla Latinis,
nulla reperta fuga est Celtis, admotaque dextrae
dextra, pedi pes est junctus ; stridore canoro
ferrea tela gravi tactu, mucroque cruento
cessat hebes manibus ferro ; seges ingruit arvis
aerea sanguineis, tum pectora quadrupedantum
pectoribus rumpuntur equum ; velut aequor in altum
impiger Eridanus, torvo qui flumina vultu
torquet in Hadriacas fluviorum maximus undas,
nixus in oppositam violento gurgite pontum
fervet arenosis raucum per dorsa procellis ;
tunc obnixa cavas impellunt flamina nubes.
Parte alii insurgens paulatim excedit ab antro
horridior Boreas Getico : cunctantur euntes
Austrique, Zephyrique diu ; dabit ecce fragorem
ingentem cumulis tumidarum ventus aquarum.
Ipse caput summo Boreas aequabit Olympo,
et cava trans Libycas impellet nubila terras.
Ferrea Bellipotens in bella ruebat anhelis
fervidus actus equis, laudumque insana Cupido,
Spes etiam, atque Dolor, tum crudae Gaudia pugnae.
Ante amnes palla Discordia dira cruenti,
rara prius, sed mox partes effertur in omnes.
Et caelo caput, atque pedes tellure recondit
semper in immensum exsuperans. Alphonsus Iopan
sternit humi valido fixum mucrone, sed ipso
sanguine vita fluens Stygias effugit ad umbras.
Arnus Atyn jacta degustat cuspide : at ille
saucius, ac parvo tardatus vulnere ; quando
letali credit ferro sese esse petitum ;
congreditur forti medius in millibus Arno,
et prior : " O quicumque es, ego haec, tua vulnera qui nunc
saucius experior, contra mea dona remitto,
dona tibi diro dextra quae reddimus hosti."
Dixit, et antevolans validam jacit arduus hastam,
et medium juvenem trajecto pectore terrae

dejicit, ac media revolutum liquit arena.
Non tulit Haemonides turbato corde Melampus ;
namque ut tela manu duro duo cornea ferro
gestabat, contra solam non amplius hastam
conjicit : illa leves penetrans grave stridula ventos
frontem olli dextram ferro transfixit acuto.
"Quid furis Haemonide tali pro caede Melampu,
actor ait ? Frustra laetare : tuum quoque telis
fata meis pectus dira sub sorte sacrarunt."
Sic ait : huic autem transverso pectora ferro
perforat ingenti praefallens vulnere Tarchon.
"I procul ad Stygias, vates mentite, latebras",
retulit Haemonides. Illum sine mente jacentem
magnanimi calcastis equi ; tum pulvere taetrum
corpus humi caeco foedatur. Oilus Orontem
solus adit solum : gladio sed, Oile, reducto
Celta ferox tibi te collatis abstulit armis,
eduxitque ensem trajectis pectore costis,
cum teloque manum pariter mens una secuta est.
Sanguine terra madet, tum mixta cruoribus unda
aestuat, et portis pubes Populonia ab altis
auxilium vallo sociis emisit aperto.
Undique tela volant, jam jam Celtaeque superbi,
atque Itali pariter cedunt non cedere certi ;
hos numeri juvenum tollit fiducia tanti,
hos experta aliis Sismundi dextra potentis.
Ac veluti toto confligunt aethere venti,
hinc Notus, hinc Aquilo, viresque animaeque furentum
nimborum oppositis concurrunt frontibus, omnis
pontus in ambiguum nigras eructat arenas ;
haud aliter Latio geniti, et Taracone profecti
uni omnes certant animis insistere campum
optatum, arreptasque semel non linquere terras.
Lydius Omophagum, Taracon quem misit in arma
Alphonsi auxilio, longa ferit obvius hasta,
et stomachum ferro foedatis hausit arenis.
Italiam, quam tu bellis, Hispane, petebas
nunc habe, et infelix alienas arripe terras :
orbem alium advenies, quo te nec classis Ibera,
nec ferus optatis sonipes insistet arenis ;
inque sepultus adhuc Stygios errabis ad amnes.
Nec minus ante alios secat impiger agmina forti
vectus equo Pandulphiades, caedesque minatur
omnibus et Celtis, et mixtae stirpis Iberis,
Alphonsoque duci ; veluti Jovis ales ab alto
aethere se mittens trepidas fugat ante columbas.
Hic hastam ut Butae defregit pectore, crudum
mucronem elisa circum caput egerat aura
usque rotans, duroque volans secat agmina ferro.
Mille viro pendent infixa hastilia laena
pectora, squamiferumque auro thoraca tegenti.
Telorum ille gravem referebat ab agmine silvam
rursus ; at hujus equi conjecto tempora ferro
dividit Alcinous, pedes ipse per arma, per hostes,
per strages, per tela virum, per sanguinis undas
evolat ad socios, Tyrrhenorumque phalangas.

Rymphus (eum tali nam nominat ore) furenti
ductus equus juveni ; quem sic praefatus ovantem
conscendit late lucenti splendidus auro.
"Rymphe hodie, Ausonidum decus et nova gloria equorum
aut caput Alphonsi mecum, fortissime, Regis
ipse feres, Celtas captis aut cedere terris
cogemus pariter : videat Tyrrhena juventus
ut tua crura levi glomerentur pulvere, quanto
cum strepitu jussis campi quatis aequora nostris."
Dixit, et arreptis sublime celerrimus armis
ibat agens hosti stragem, multamque ruinam
praecipitans ; multos pressis impegit arenis.
Tum vero multo cessere labantia campo
agmina Celtarum ; quos ut prospexit ab alto
pallantes Alphonsus equo : " Non talia dudum
foedera, nec tales ventura in proelia dextras
polliciti auxilio patriis venistis ab oris.
Quo vos foeda rapit segnes fuga ? Quove refertis
tela Italis promissa diu ? Terraque marique
claudimur, o socii ; contra Populonia pubes,
parte alii Sismundus agens in bella Latinos ;
nulla salus captis : ferro quaerenda salutis
est via, vel potius sumptis moriamur in armis,
quam pecus ut mutum gladiis jugulemur iniquis,
atque animas ferro capti reddamus opimas,
egregia et spolia victoribus." Haec ubi fatus
in medios Italum densis sese intulit armis,
atque neci Chromiumque dedit, fortemque Thoanta
Hyrtaciden, Graia nuper qui venerat urbe
seditione fugax, patriaque exactus aviti.
Argos equis dives latis ubi moenia fossis
erigit, ille animum curis confectus amaris
errabat Latio desertae conjugis ignes
usque pio sub corde ferens, fatalia donec
fila manu rumpunt Parcae ; tum tristis ad undas
umbra fugit Stygias, animusque relapsus in auram
aetheream. Alcithoum fortis prosternit Iolas,
Euryalumque Gyas prisci generosus Ilerda,
atque Gyan Telamon, Thebis quem Daphnia partu
nympha tulit Clytio. Salium non vitat. Orestes,
sed longe ante alios ferro praecurrit acuto.
"Ecquis es, o Superum genus insuperabile divum,
qui mea tela manu, mortemque moraris iniquam ?
Heu miseri, quorum nati mea tela, meam vim
experiuntur ", ait Salius ; " cui fortis Orestes,
accipe nostra prius, tua quam laudaris, et illa
tela proba, validi quae sint non irrita dextri",
dixit, et adducto telum jacit ante lacerto
viribus inventum fusis ; volat ardua pinus
trans caput, et Salium supra : depressus humi se
flexit enim Salius ; nam se collegit in orbem
ardentis latum clypei ; tum reddit Oresti,
adsurgensque simul, mittensque volatile telum,
mercedem solitam, mediam, miserabile ! Frontem
rupit, et ante oculos telum crudele pependit :
"Haec ego tela probo valida non irrita dextra,

quae tibi missa libens, juvenis memorande, relinquo."
Dixerat : ille novo labefacta dolore tenebris
tempora operta novis, defracta cernuus hasta
non regit, undantique imbutam sanguine terram
ore petit, Stygias sanguisque animusque latebras
flumine purpureo descendit, et ima petivit
Tartara ; quem Salius media pede calcat arena.
Quin etiam Euryalum detorti cominus hasti
excipit, et tenero pulmone tepente refixit
cuspide, tum crates animosi pectoris hausit.
Ille volutus humi fluidum vomit ore cruorem
vulneris ingenti : quid te latissima campi
jugera ? Quid saltus, rapidarum ac lustra ferarum
venatusque juvant ? Quid totam in proelia mentem
adjecisse ? Patris liquisse beantia rura,
si tibi nota satis genitorque domusque fuissent ?
Talia dum ferro Salius gerit acer acuto,
illum animis contra tendit Taraconius Idmon,
maxima pars belli, Martis densissima saepes,
et peditem contra pedes obvius urget, et hastam
mittit in audacem Salium ; sed sustinet ensis
fulmineus telum veniens, detortaque longe
hasta volans stomacho Tyri stetitit acta recusso.
Ille ardentis equi fuerat cervice volutus
pronus humi primum, revolutus deinde supino
pectore, dum caecis conatur pulveris umbris
surgere, anhelanti stomacho stat vulnus aperto.
Ingemuit casum socii miserabilis Idmon,
et Salium arrepta contra volat impiger hasta.
Quem furere ut vidit Salii crudelia contra
fata volans, ut equo forti praevectus, acuto
ense ferit, mediumque caput scidit altus Homocles
Apulus, Alphonsi crudelis nominis acer
hostis, et infectos cui pactae forte hymenaeos
conjugis Antigones turbarat barbarus acri
captus amore, ferosque gerens in corde furores,
indomitosque ignes, et caecam in pectore flammam.
Ille dolore tumens, iraque incensus amara,
incidit ira animo postquam indignantis amatae,
conjugis optatae Regi connubia vitat,
Parthenopenque volens, antiquaque liquerat arva.
"Idmon, ait, saevi miles vesane Tyranni
accipe militiae quae praemia reddit Homodes,
conjuge qui rapti justis ulciscitur armis
conjugium, et mores Alphonsi proelia Regis."
Talia dicenti, Celtisque immane minanti
obvius it vastis fortis Polydemius armis :
quem simul ac vidit venientem fortis Homocles
talibus huic dictis contra sese arduus infert.
"Panthoide Polydemi animis frustrate superbis,
manibus ac maestis comes i nunc Idmonis umbris :
jam tibi Tisiphone tortos invisa colubros,
Tartareumque Chaos monstrabit terra reclusa."
Dixerat ; et jam tum castris legio omnis apertis
per campos effusa ruit, nam terga fatigant
Lydorum primi reseratis undique portis.

Sudor ubique virum bellantum, multus ubique
clamor, ubique vagans agitat Discordia vulgus.
Hos Sismundus agit, socios Alphonsus, et hostes
sustinet : ambo armis campo bellantur in uno.
Ut semel Alphonsum vidit Pandulphius, utque
ante oculos diri crudelia foedera regis,
vulnus et ante recens paulo, calcaribus acrem
pressit equum duris, campoque infertur aperto ;
perque hostes, perque arma volans aufertur ab omni
Ausonidum adspectu : " Quo te temerarius, aiunt,
magne furor Pandulphe rapit ? Quid linquis Etruscos
crudelis populos ? Virtus tua linquere suasit,
anne odium Alphonsi populos, invicte, Latinos ?"
Talia jactabant miserando pectore dicta.
At bonus Alphonsum Pandulphus in agmine quaerit
hostili, multos ferro detruncat amaro,
usque viam sternens, populosque in terga Latinos
Celtarum, et subito palantes trudit Iberos.
Nuda bis urgenti verterunt terga, bis armis
oppositis socium steterant ; ter ab ordine Lydi
dejectos omni expulerant, quater acrius omnes
incumbunt Itali ; toties se barbara campo
implicat obsesso gens omnis : et horrida quondam
qualia bella gerunt excitis cominus apris
Picentes cauti, clauso cum indagine campo
it fera per medios vario clamore molossos ;
illa plaga, aut densis juvenum tardata maniplis
fertur in ambiguum retro, rursumque caterva
venantum offensi, fugiens vestigia retro
vana legit ; toties lato Taraconia campo
turba labat geminos dubitans se fundere in hostes.
Quam simul ac vario vidit clamore labantem
dux Pandulphiades, multoque errore plicantem,
"Vicimus, exclamat : fusos mihi Jupiter hostes
ante oculos posuit ; nunc nunc pugna acris adesto,
omnis amor laudum, dulcesque ante ora triumphi
defensae Italiae". Sic fatus, more leonis
armento stragem mittentis, primus in hostem
se rapit attonitum ; cuncti simul inde secuti
Tyrrheni, et duris praedurus Fanius armis.
Haec super aethereo divum pater altus Olympo
humanas tristi miseratus pectore caedes,
ipse modum tantae cupiens imponere pugnae,
prospectat latis longe fulgentia campis
agmina, magnanimosque duces, missamque sub armis
Hesperiam, et duros Tyrrheno in litore Celtas
Ausonidum clausos turmis utrimque refusis.
Extemplo ad fidam sic fatur Apollinis aurem :
"Phoebe, genus nostrum, Latonae ac lucida proles,
quae fuga jam, victis patuisset libera Celtis ?
Ni premat a tergo justas Populonia in iras
gens accensa, gravi dudumque obsessa tumultu,
barbara cui patrios pulsabat machina muros.
I celer, Alphonso mea fer mandata labanti ;
aut cedat bello, densis aut protinus armis
occidat Ausonidum : sic stat sententia, durae

sic Parcae statuere ; tenens examina laeva
Jupiter imposui populorum fata duorum
lancibus ambiguis ; regumque, ducumque labor stat
una in parte labans." Geminas tunc ordine sortes
lancibus ipse gerens, Alphonsi proelia regis,
Pandulphique vices ; magnosque ex ordine Divos
advocat, et certum cunctis ostendit honorem,
dedecus ignaris nequicquam mentibus infert.
Nam simul ac steterant aequato examine lances,
Alphonsi Stygias sors lubrica vergit ad umbras,
Pandulphi aethereas sublimior occupat auras,
illam terra tremens, illam non motus Olympus
divisere procul. Cunctos secedere jussit
caelicolas cursum, Phoeboque potentia rursum
dat mandata ; gravi formidine prorsus abactum
impleat Alphonsum, veritisque avertere terris
imperat. Ille levi dimissus ab aethere, gentes
barbaricas, Italasque novo concurrere bello
ut procul adspexit, sortem miseratus acerbam
magnanimi Alphonsi, felicia bella superbi
Sismundi adspectans : "Italum fortissime, dixit,
quo tua fama cadet venturo tempore saeclo ?"
Tum Jovis Alphonso crudelia jussa parentis
detulit : "Ille ego sum magno Jove natus Apollo,
quem peperit Latona. Patri, fuge bella cruenti
Martis iniqua tibi ; victor Sismundus : ad aequas
ipse ego te naves occulto tramite ducam ;
ne dubita : melior victum fortuna sequetur
forsitan ; hoc Superis visum est." Sic orsus, habenas
magnanimi deflexit equi, longeque retorsit,
Tyrrhenoque freto. Celtis amovit ab ipsis
invitum, crudae linquentem proelia pugnae.
Ipse malis turbata novis et pectora fluctu
curarum ingenti perculsus, ad aethera magna
voce fremens miserum subitas exarsit in iras.
"Ergo ego Fortunae majora, minora, trahenti
credideram ? Quae me heu cunctis immiscuit imis
omnia summa ? Igitur fugiens Alphonsus honorem
Sismundoque duci, populisque relinquet Etruscis
quin peream, manesque prius delabar ad imos ?
Invisamque animam jam nunc ego fundere in auras,
hanc animam exhalare libens crudelibus optem
suppliciis ? Quo fata trahunt inimica, sequamur.
Me sine, summe Deum, medias erumpere turmas
Ausonidum ; sine me Tyrrhenos reddar in hostes,
aut letum crudele manu : proh dedecus ! Omnes
spectabunt Itali fugientem, ac terga parantem
spectabunt Celtae, medio quos linquere bello
cogor, et ipse metu jam concitus unus inani
indecorem rapuisse fugam ferar ? O mihi tellus,
o mare Tartareas tumidum se scindat ad umbras !
Sed fugio interea quo me furor urget ? At o jam
si fatis trahimur, tumidoque immergere ponto
hoc caput est visum Superis, non jam ulla recuso
effugia : in scopulos, aut alta Ceraunia, venti,
dividite hos artus, vastaque urgete Charybdi."

Sic ait, et lachrimis confuderat ora profusis,
verbaque nubiferi rapiebant irrita venti,
atque propinquabat classi, miserumque fremebat.
Accepere ducem nautae, fidaque carina
deduxere virum terris procul inde relictis.
Nuntius interea Sismundo fertur, abactum
navibus Alphonsum magnis dare terga Latinis.
Exarsere animi, subitamque accensus in iram
magnanimus Pandulphiades vocat agmina magna
voce tonans : "Pelagi primas curramus ad undas,
ne fugiant Celtae ; quando fortuna fugacem
sustulit Alphonsum, fusos capiamus at hostes."
Dixit, et in medios, cuneis urgentibus, hostes
fertur, ut ille lupus media intra saepta gregatas
dissipat acer oves, nautum pecus omne repente
amisso pastore cadit ; sic barbara linquunt ;
agmina signa, capi se passa, cruentaque cessant
vulnera ; nam prohibet caedes Pandulphius heros.
At Lydi, quorum miseri crudelia nati
servitia expendunt, ratibus cepere redemptis
quos mutent natis : alios Dux ipse triumpho
servavit Celtas magno ; tum talia ductor
Ausonidum magnus tumulo est exorsus ab alto.
Crastina frugiferas lustrarit lumine terras
orta novo croceis invecta aurora quadrigis
cum primum, et caelo Phaeton se tollet Eoo ;
magnanimi nos pompa duces non parva sequetur.
Namque Fluentina praeclaros orbe triumphos
defensis bello laetis ducemus Etruscis.
Interea nunc magna virum, quae plurima campo
strata jacent, solitae, mandemus corpora terrae,
quo tuto Stygias possint Acherontis ad undas
ferre pedem, et vano digni decorentur honore.
Vix ea, quum lacrimis perfuderat ora decoris.
Protinus aerios colles adscendere tendunt
abietibus similes, nec non Pandulphius heros
nunc hos, nunc illos duris hortatur in armis,
aere gravemque ciet luctans in dura bipennem
robora, et avulsas vertit radice cupressos.
Nec mora : praecipitant omnes, ac jussa sequuntur
magnanimi proceres ; sonat ictu silva securis,
ingentesque ruunt summis de montibus ornos,
cornigeras pinus, et odoriferas cyparissos.
Contextas statuere pyras, atque aggere summo
convectant gelidis collapsa cadavera membris.
Tum lamenta sonant, gemitus, lacrimaeque sequuntur,
languescitque nemus, singultibus insonat aether,
ardentesque viros, ambustaque membra sepulcris
ferre parant subito, et cineres volvuntur inanes ;
adduntur tumuli, et tumulis insignia tela
linquuntur, tremulosque trahunt a pectore questus.
Innocuae salvete animae, salveto supremum,
aeternumque piae : Stygiam transite paludem,
Elysios sperate locos, sperate reverti
rursus in humanos, fatis melioribus, artus.
Nec non et miseris permittant tristia Celtis

funera subter humum captivi reddere turba.
Tum gemitus tollunt convexi ad sidera caeli
et Celtae, et nati permixto sanguine Iberi.
Iphitus ante alios multo maturior aevo :
"O Patriae devota suae prostrata Juventus,
magnanimi quondam juvenes, nunc fusa per agros
corpora magna Italos, nec fusa sine ante cruentis
caedibus Ausonidum multis, quos cetera si nunc
gens imitata ruat medios secura per hostes
fugisset non Celta ferox, non asper Iberus.
Vos quoque non parva cum laude Acherusia regna
advehet ille Senex optatae portitor undae.
Vos tamen omnis honos, quicumque refertur ademptis,
Sismundo debete duci, qui talia reddit
officia, haud vanum miseris invidit honorem.
Haec ubi fleta, petunt Lydorum tecta superba
Pandulphi ante alios belli fortissima proles,
in niveo Sismundus equo, quem mille sequuntur
jamque ipsis heroes equis, et tecta petebant,
et paeana duces, et te, Pandulphe, canebant.
Sed postquam muris omnes, atque urbe recepti,
curat equos famulum manus, et sua corpora laeti
et Cerere, et liquido properant explere Lyaeo.

## LIBER QVARTVS

H_4 Labitur interea mediis nocturnus in undis
ipse ignota secans Tyrrhenos aequora fluctus,
incertas Alphonsus aquas, tum pectore curae
vertuntur gelido variae, mentemque recentes
perturbant sonitus, victoremque omnia victo
intentant simulacra, metusque iraeque pudore
permixtae variant animum : ter in aequor opacum
mittere, ter gelido voluit se immergere ponto :
ter miserans animi regem servavit Apollo.
Ille negata diu quando mors atra labantem
deserit, aethereas sic est effatus ad auras.
"O me Scylla rapax, o me indignata Charybdis,
terque quaterque vadis per hiantia dona rotatum,
sorbeat, aequoreaque vorans procul hauriat unda.
An patrias repetamne domos ? Quas ne ipse reliqui
contentus vitam hanc alienis degere terris ?
Parthenopen igitur Tyrrhenam, atque Itala regna
obsidione premam rursum, qui milite capto
provehor in soli, proh dedecus, ecce carina ?
Ausonios veniam potius, juvenemque superbum,
victoremque mei superest orare facultas.
Quin nihil est, nisi morte manum foedare cruenta :
una salus haec est, haec fortibus una voluptas ;
hic modus, haec una est variorum meta laborum."
Sic ait, et praeceps gladium, quo cinctus, ademit

vagina, et forti condat sub pectore, Apollo
ni vetet, et placida soletur voce dolentem.
"Magna quidem victis solacia, clara probati
victoris sunt facta : fugis nec primus ab illo
victus", ait ; "Fugere alii quem fugeris ipse,
in te laudis habet plus quamquam, cetera dum sint
maxima facta viri : cesset dolor iste parumper,
ordine cuncta canam ; neque te, Rex magne, pudebit
succubuisse duci tanto, cui maxima rerum
Roma potens Latii fasces, et munera magni
imperii, et priscum Romanae gentis honorem
tradidit. Ipse puer primis maturus ab annis,
jamque regens placida populos in pace, videri
omnibus ante diem curas gestare viriles,
ingentesque animos ; multos terrere nocentes
dissimilesque sui, populos, saevosque Tyrannos.
Hoc concussa metu Latii pars quaeque futuri
Sismundi jam bella ducis, viresque tremebant
venturas juveni : multi praetexere fraudes
adsidui instabant ; alii objectare ferinis
cursibus ; ille levi montis petere ardua cursu,
atque volans hirtos deferri victor in apros,
saepe lupos : queritur Latio non esse leones ;
saepe gravem dextra subjecit in aethera discum.
Illum nec dura potuit superare palaestra
alter ubique puer, saltu nec vincere fossas
ingentes juvenum quisquam, nec frigora passo
dejecere nives animum ; non ipse furentis
signa canis metuens medio venatus in aestu,
umbriferi nemoris latebras captabat opacas ;
flava sed ostendens impexis colla capillis,
et niveis alba ora genis, cum Lucifer almam
extulerat caelo faciem, tenebrasque fugarat,
serus ad occiduum Solem nemora alta petebat
cum canibus, sociisque, et anhelorum agmine equorum.
Ast ubi Arimineam rediens venator ad urbem
cornigeros alte referebat ad atria cervos,
ipse suo partis dapibus sudore repente
vescitur, et parvo contentus surgit, et omnes
evolvit fastos veterum monimenta virorum.
Postquam grata quies miseris mortalibus esse
coeperat, et nigras alis amplectier umbras,
semper equos, placitosque ferunt insomnia ludos.
Matutinus, avis resonant ubi carmine tecta,
surgit, et aethereum votis puer implet olympum :
templa Deum multa visit simul omnia pompa.
Quem postquam tanta vidit virtute regentem
regna paterna, furens Stygiisque excita latebris
invidia atra vorans ipsam se, tristia primum
intulit Italiae certo vestigia gressu.
Illi Terra parens, Geticis dea nata sub antris
nocte quidem media, diram cum forte Megaeram
illa tulit partu tristi, mortalibus ardens
virus, et occulti monstrum crudele veneni,
monstrum antiquum, horrens, variis informe figuris :
ore sonant nigri foeda robigine dentes,

lingua veneniferis ardescit squalida fibris,
lumina torva tument, jecur ambitione metuque
tunditur, insani vertunt sub corde dolores,
luce oculos, sed nocte animum per maxima versat
regna, bonis hominum totos absumitur annos
impia, nec rebus meminit cessare secundis.
Haec ubi magnanimi moderantem regna parentis
justitia Getico Sismundum sensit ab antro,
protinus anguigeris tristis Deus evolat alis,
quaque volat pereunt segetes, silvaeque feraces
demisere graves pomorum ex arbore fetus,
concussaeque metu tremuerunt funditus urbes,
nec spes ulla fuit venientis messibus anni.
Haec ubi semianimum victrix populaverat orbem,
Italiam vario jam tum sermone replevit
crescere, cui, fato volventi, pareat omnis
Ausonia, et prisca deductus origine sanguis
Lydorum, Troumque genus, veterumque Pelasgum,
qui terras primi quondam coluere Latinas.
Tum libertati Patriae dea ficta jubebat
consulere Ausonias studiis ingentibus urbes.
Unus Ariminea fallax Labienus in urbe
invidus imperio Pandulphi, in tristia cives
bella vocat trepidos, atque inscia pectora vulgi
vocibus his acuit : "Leges ac justa petamus
foedera, dum pueri reges, dum mobilis actas."
Sic ait, et trepido antevolans rapit agmina cursu,
Sismundique minax circumstat tecta superbi,
exposcitque pios veniant in foedera reges.
Pandulphi proles major Galaotus habenas
imperii jam tum multa virtute regebat.
Ipse tamen, quamvis sanctissimus, atque Tonanti
carus, utrumque bonus rex idem, Numinis idem
cultor, ut innumeros vidit socia agmina cives,
non erat ausus equos medias evadere turmas,
sed pavido tectos versabat pectore questus.
"Excute corde metum, turpes sepone querelas,
optime frater", ait Sismundus ; et ocius acrem
ducere jussit equum, mediosque animosus in hostes
evolat, et Zephyris et Iapygis ocior auris,
Caesenamque celer, defensus numine divum,
trans gelidas Rubiconis aquas petit : obvius olli
civis, et optatis jamdudum amplexibus omnis
turba fovet puerum victorem, illumque frementi
prosequitur studio ; dictis quos ille benignis
accipit, et verbis antiquum instaurat amorem.
"O Regni spes una mei, fidissima, cives,
pectora, quos justis nunc primum expertus in armis
agnosco videoque libens ; nunc viribus, omni
nunc opus auxilio : Labienus perfidus urbe
Victor Ariminea potitur, fratresque paventes
obsidet : unus ego huc medias erumpere turmas
ausus, et ingenti campos transmittere cursu
advento : vos me scelerato evellite fato.
Vos mihi fida manus, vos, me duce, prisca parentis
reddite rapta dolis Galaoto regna propinquo."

Dixerat : hi lacrimis vultus lavere profusis,
promittuntque fidem, et terras Castella propinquas
finitima, et totos nudat cultoribus agros,
qua pater aethereas tumet Apenninus ad auras.
Quae super Adriacos pendet plaga proxima fluctus
omnis in auxilium, ruit, omnis in arma juventus
agresti collecta manu, pars spicula duro
certa gerens humero, pars longas altius hastas
cognita tela ferunt, campo legio omnis aperto
perfurit, ultoresque vocat in proelia divos.
Tertia jamque polo gelidam lux moverat umbram,
cum bonus ante urbem Pandulphus in arma paternam
ante exspectatum praeduros ducit agrestes.
Curritur obsessis extemplo ad moenia muris,
Sismundumque vident audentem digna futuro
maxima facta viro. Sensit Labienus iniquis
invidiae incensus stimulis sua coepta referri
in pejus variis studiis, ignaraque vulgi
pectora non solitis suaderi credula verbis.
Tum fido Hadriacum conscendit remige pontum,
caeruleaque sedens respectat moenia prora,
teque petit fidam sinuosis, Mantua, velis,
tutus ubi extremos senior male degeret annos.
At non hoc dudum sperabat caeca futuri
mens ignara mali ; capti regnare sed aula
ipse quidem, laetam sceptris finire senectam,
aedibus aut saltem patriis fore primus ; at illas
evertit saxo victor Sismundus ab imo,
quem reducem, et jam tum dominantem in tecta sequuntur
regia victores : ex illo fama, decusque
egregium claris accessit laudibus ; inde
invidiam virtute premit, quem numina servant
magna Deum, caelo misit quem Jupiter alto,
ex quo quid posset virtus humana pateret.
Ipse ratus posthac cives pietate, metuque,
justitiaque regi debere, minantia condit
atria, Sismundo queis nomen dicitur Arci.
Nec tantum Italiae proceres, sed Iberus honorem
invidit puero frustra Carillus, et arma
intulit, antiquos populatus caedibus agros.
Piceni multis laeti, totumque Metaurum
circuit : ille autem contra capit arma, ducemque
reppulit, et multo spoliavit milite pulsum.
Ex illo innumerae cupierunt tempore gentes
magnanimo adjungi puero, Venetique priores
delegere Ducem, dubium qui protinus urbi
Bergomeae ferat auxilium ; namque arma Philippus
Gallorum dux obsessis jam moenibus urbis
admorat, turbans miserandos undique cives.
Maximus ille quidem populos, urbesque regebat,
et Genuam ante alias, magno quae adsueta labori
gens praedura virum, navalibus inclyta bellis ;
atque alias urbes, Vesulus quas pinifer usque
fonte Padi a primo procelsa despicit arte,
Gallorumque domos, antiquaque regna parentum.
Insubrum gens imperiis jam fida vetustis

ingentes animos dabat olli, fida Cremona,
et jam semirutis vastanda Placentia muris,
Parma virum frugumque potens, cui dedit honorem
cetera pars Italae claris regionis in armis.
His opibus Ligurum fretus rex inclytus urbem
Bergomeam multis obsedit millibus, acri
obsidione premens miserandos undique cives.
Nec quisquam numero e tanto, Venetumque catervis
ausus adire ducis fera castra, nisi unus ab annis
Pandulphus primis ; neque te, Perusine, movebat,
dux invicte, alius tantarum a cardine rerum.
Omnis Arimineo in puero metus hostibus, ingens
nomen, et Ausonias vaga fama repleverat oras.
Obstupuere duces, et quas Benacus ab undis
suspectat gentes vitreis, quas Brixia apricis
montibus, et saxis despectat Bergomon altis.
Nam memorant, postquam saevi data copia Martis,
mille viros, et mille ferens ingentia saxa
vi propria dum nixus adest, intrarit ut altes
intrepidus muros. Perusini vana repente
spes infracta ducis capiendae labitur urbis.
Namque duces fusi Danaeius, atque superbus
Rubrius, amissis amborum funditus armis.
Nec major tuus iste dolor, quam cura Philippi
acris erat ; quoties fugientes reppulit hostes
magnanimus Pandulphiades, ducis atra superbo
incidit ira animo toties : ubi proelia frustra
omnia sunt tentata, nihilque erat omnibus usquam
actum armis, media tacitus se nocte recepit
hostili e terra vicinam tutus in agrum,
atque hac anguigerum mulcebat voce Philippum :
"Pro Sigismundo divique, deaeque malignis
certavere dolis ; dabit haec victoria cladem
forsitan ignaro Juveni. Fortuna vicissim
praecipiti fert cuncta gradu ; sucessus ovantem
nunc sine, vanus alat : Padus est non ipse Metauros
non Athesis Sapis, non Abdua laetus Isaurus ;
Jupiter et nobis aderit pater." Haec ubi frustra
dicta volant victo ductori, spes quoque tristi
est animo melius juveni certare furenti.
Falleris infelix Perusinae gloria gentis,
falleris o nimium ; nam te Mons Laureus olli,
mollis ubi colles suspectat Isaurus apricos,
incautum dabit : interea sperare licebit.
Sed tibi tempus erit, quo tu mortemque cruentam,
fatiferumque diem suprema optaveris hora ;
sanguine cum multo tam saeva rubere fluenta
Flaminia, Hadriacasque horrere cruoribus undas
perditus adspicies ! Sed postquam Regna recepta,
hostibus afflictis defensi cessit ab urbe,
nubiferaeque secans radices Alpis opacas
collem Aponum superat, Venetisque allabitur undis.
Huic Antenoridae Phrygii gens prisca coloni,
Paphlagonesque animis occurrunt obvia laetis
pectora magnanimi praestanti corpore cives,
quos ferus Euganeas Henetus transcripsit in oras.

Parthenium fluvium, atque domos liquere superbas
qui profugi capta quondam socia agmina Troja,
quique Cythoron habent, et Sesamon uda tenebant
arva ; Padum qui nunc, atque Itala flumina potant,
Cromnanque, Aegialumque diu, celsosque Erythinos
in patria coluere sua, nunc molle Timavi,
et latus Eridani placidas laetissima ripas
gens antiqua colit ; laeto quae plurima vultu :
"Salve Italum ductor, Pandulphi maxima proles,
per quem certa salus populis est reddita nostris.
I puer, i positam mediis in fluctibus urbem
ingredere ; o quanti Puero debentur honores !”
Talia Paphlagones, dictis quos ille benignis
suscipit, antiquique volens Antenoris urbem,
et Phrygias Patavi sedes, munosque reliquit.
Qualis ubi a Troja defensa maximus olim
in specus Iliadum rediit Neptunus aquarum,
ille deo pectus similis, similique vagantes
ore deas pelagi liquidis excivit ab undis ;
cum graviter summa clamabat Glaucus ab unda,
caeruleam summo protendens aequore barbam,
per madidos glauco speculatus lumine crines :
"Quem petitis, Nymphae, mortalem ? Quaene Deum me
spernitis ? Ille ego sum liquidarum rector aquarum,
connubio natas Nereus cui tradidit : ite,
ite maris divae, mortales linquite amores ;
neve loci species, neu verba potentia suasu,
neu capiant promissa, volant quae saepe protervis
irrita facta Notis ; ne vos fiducia formae.
Nulla fides homini : Circen Laertius heros
liquit homo divam, licuit quam fallere pacto
foedere juratam, ne quid pateretur Ulysses,
qualia dementes socios tolerare videret,
squalida nigranti cecidit queis corpore seta
dulcibus alloquiis, facundi et munere Ulyssi.
Aeaeaeque diu pacato pectore divae,
consilio ante alios mortales clarus amantem
deserit, ac duris religatus membra catenis
Sirenum fluctus, et saxa canora reliquit,
invitusque vagi calcavit pascua Solis
intacta, atque fame vitanda vireta suprema,
sed quid ego antiquis permulta revolvor ab annis
saecula ? Post illum nemo fuit inclytus astu
atque dolis tantum, quantum Sismundus : abite
ocius in pelagus." Dixit, contraque ruentes
reppulit. Hic aderant quaecumque tepentibus undis
humida connubia, atque udos celebrant hymenaeos ;
Dotoque, Protoque, Pherusaque, Dynameneque :
quae simul ac placido flexerunt lumina vultu,
non prius adspectu torserunt capta supremo
pectora, quam penitus totis arsere medullis.
Hic Ephyre, atque Halie, tum candida Cymodocea,
Nesaeeque, Actaeeque, Amphinome, Meliteque,
et Panope, et felix it Agave, flavaque Doris ;
post has it Glauceque, Thaliaque, Cymothoeque,
et Spio, et niveis perhonesta Lycorias ulnis,

quaeque cavis antris aliae Nereides omnes
humida tecta tenent, atque aequora caerula servant.
Jamque adventabant Veneti, regemque videbant,
plurima queis auro radiabat purpura texto.
Ut vero innumerae texerunt aequora cymbae,
undaque spumigeris incanduit eruta tonsis,
arrexere animum Sismundo tanta faventum
agmina visa procul : cunctae sine more carinae
tectae auro fulvis imitantur sidera velis,
et melius clara species ea fulsit in unda
namque videbantur tranquilli ardere profundi
aequora, propter aquas flammis per inane refusis,
nec non et fulvos prora monstrante Leones.
Classica rauca gravi resonant vada caerula cantu,
ac laeto clamore viri ; tum Regia Puppis,
Centauro cui nomen erat, suscepit ovantem
Sismundum, et multi victoris laude triumphum
conclamant : crebro resonant vaga caerula plausu,
Tritonesque cava feriunt certamina concha ;
atque ratem placidae pepulere per aequora Nymphae,
donec in optato tenuit gravis anchora portu.
Hinc ad nobilium miranda Palatia Patrum
pergit, et Imperii gazas miratur Eoas,
aurea quaeque videns fulvis laquearia tignis.
Canus honos, ac certa fides, longaeva Senum vis
jura ministrabat populis, legesque ferebat.
Aedibus his epulas magno struxere paratu,
ordine cuique suo, Ductorique ilicet ipsi
praecipuo. Ille quidem maturis dignior annis,
sed facie insignis, multum et florente juventi
integer, egregio circumspicit omnia vultu.
Illum animis oculisque bibunt, illumque frequentes
primum Italum cuncti Ductorem deinde futurum
affirmant placitis deducti voce loquelis.
Tum vero Juveni totis stetit igneus ardor
ossibus, et quae sit talis, fortuna requirit,
quisve labor tantum cupido concedat honorem :
usque adeo pro laude fremit, cui laeta triumphis
obvia tota novis longas Urbs isset in undas.
Fixus honos alto sedes in pectore certas
ille tenet ; neque enim pretio majore movetur,
nec jam thesauros Juvenis miratur Eoos.
Major eum jam cura tenet, majorque futurae
laudis amor : tum sic Venetum justissimus unus
apseudes tales referebat pectore voces.
"Optime dux Italum, caelo quem Jupiter alto
miserit, ut terras donarit munere tanto ;
o fama jam clare vagi, sed clarior armis,
Ausonidum spes certa virum, quem cernimus omnes,
atque libenti animo caris amplectimur ulnis,
vive diu, memorande Puer : tua magna futura est
vis animi : nosco mentem, venturaque bella.
Perge age, perge, Puer, populos saevosque Tyrannos,
si qua cruenta parant mihi bella, repelle, feroces
tunde animos factis : tibi nostra salusque, fidesque,
res erit in manibus Venetorum summa tuorum."

Sic ait. Ille autem constanti pectore voces
retulit has contra Seniori : "Fata secundo
Numine vota meis tua firment omnia votis.
Certe ego non alios implorem in bella Parentes,
sive illata mihi pellam, seu sponte remittam
infidis fera bella viris, ego vestra vocaro
auxilio arma libens, vos et mea regna volentes
Hadriacis vicina vadis, accite nefando
Marte lacessiti : si post rex ipse Philippus.
Rursus iniqua geret tibi bella, vocare memento
me me iterum. Haec fatus Venetorum cessit ab urbe,
pontivagoque dedit sinuantia lintea malo,
victor Arimineam repetens laetissimus urbem.
Tranquillos placidi populos cum pace regenti
ex improviso subitum et mirabile bellum
intulit horrifica Insubrum dux marte Philippus
indignatus opem Venetis portasse subactis
Sismundum. Perusinus erat dux inclytus olli
bellorum laudisque potens, quem miserat ipse
millibus innumeris Picenas magnus ad oras
Insubrum rector magnorum laetus equorum.
Isque ubi jam ripas liquidi transcendit Isauri,
laureus altus ubi mons, est, et pronus ab alto
vertice Arimineam despectat plurimus urbem,
conscendit montem laxis Perusinus, habenis
turbidus, et spissas statuit pro monte cohortes.
Non tulit aerias scandentem maximus arces
dux Pandulphiades, totamque in proelia mentem
arrigit, ac justas animis immiscuit iras
agmine praerepto, montemque adversus in altum
tendit, ubi Insubrum positis tentoria castris
candida surgebant. Sed non Pandulphius heros
castra locare ducem sinit : ipse simillimus Euro
aut Zephyro antevolans, juga montis iniqua propinqui,
securus tanti media inter tela pericli
arripit. Olli autem contra Perusinus, et omnis
Insubrum, Ligurumque manus fudere maniplos
innumeros : veluti, cum pressit ab aethere nubem
Jupiter, imbriferis tumefacta frementia nimbis
flumina praecipiti volvuntur in aequora cursu.
Talis erat durae facies taeterrima pugnae,
tantaque contiguos se miserat omnis in hostes
prima phalanx Ligurum. Contra Sismundus in altum
se recipit tumulum ; socios speculatus et hostes
magnanimos, erumpit atrox, Ligurumque phalangas
invadit primas. Stupuit Perusinus amaris
concussus mentem stimulis, Juvenemque superbum
horruit incepti turbatus imagine belli,
et procul : "O socii, nostra haec fortuna ; furentem
claudite dum trepidant effusis undique telis,
et Juvenem efficite ignotis se credere bellis
discat, et expertis alias occurrere factis."
Dixit, et innumeras dimisit in atra cohortes
proelia ; sed contra plures Pandulphius heros
Flaminios, Picena phalanx quos deinde secuta,
Etruscumque manus, Venetumque ingentia bello

auxilia optato, justis quos junxerat armis
ipse sibi ductor Pandulphi maxima proles.
Tum vero fremitus et equum, clamorque virorum
misceri, et varium volitare per aethera murmur
bellantum juvenum, studiisque in fata ruentum.
Antigonum Pandulphiades dux magnus ovantem,
sternentemque viros, et prima in bella micantem,
sternit humi ignarum, fractoque in pectore telo
liquit equi lapsum tentantem colla caduci,
clamantem incassum, et socios sine more vocantem ;
pulvere foedatum missis equus acer habenis
quem trahit in medios, sociis maerentibus, hostes.
Ingemuere viri casum ducis alta Philippi
agmina : tum Chromium venientem, illique ferentem
auxilium, longa fortis Tagus excipit hasta.
Rubrius a tergo Sismundi marte phalangas
invadit juvenum septem cum millibus acri
vectus equo, ante alios cauda cristatus equina.
Quem simul ac vidit venientem Martius Heros
obvia lecta equitum praemittit millia contra
vix tria ; sed fortes prima de gente Latinos.
Ergo utrimque gravi pressos clamore lacessunt
Insubrum, Ligurumque manus ; sed Rubrius altam
non equitum potuit victus sufferre ruinam.
Namque videbantur summo de monte cadentes
abietibus similes campo se infundere aperto.
Ergo corda metu perculsi cedere toto
aggere, nec dubiis juvenes jam parcere fossis.
Tum Pandulphiades dictis haec mandat amicis
monte sub adverso laxis praevectus habenis.
"Magnanimi Proceres, mecum quos Jupiter ipse
esse dat Italiae decus, auxiliumque cadentis,
nunc nunc adversum mecum conscendite montem.
Primus ego adversos apices elapsus in altum
provehor en campum : fugiunt confusa vicissim
agmina, nec potis est nostris inimicus in oris
hos alere angusto tendentes colle : paventes,
disjectosque urgete viros : nos jura, deumque
cura regit ; justis quoniam bellamur in armis.
Deterior neque enim numero, neque viribus hoste
bella gero." Dixit, summoque in vertice montis
mille viros, et mille ferens volitantia tela
constitit ; at Ligurum gens omnis in obvia summo
arma inimica ruunt tumulo. Micat aerea densis
rauca seges hastis ; liquidas cruor ater in undas
Scarpacis in clarum se praecipitantis Isaurum
sanguine purpureo late descendit. At heros
vidit ut infidos medio in certamine Gallos,
et Ligures signis multum cessare relictis,
infelix gemuit lachrimis Perusinus abortis,
conatusque gradum verbis frenare labantem
ipse sui, et socium titubans ; retroque recursans
torquet equum urgenti turba : " Quo deinde bilingues
vana trahit pavidos segnes fuga ? Vincite vosmet,
et cohibete fugam. " Nec plura loquente, ruinam
ingentem Pandulphiadae fecere, volantes

terga darent Ligures ut victi, ipsique feroces
Gallorum fera corda duces, fusique Philippi
ingentes populi ; quae gens antiqua supremam
incolit Italiam Tyrrheno proxima ponto,
parte alia duras Gallorum vergit in Alpes,
in Celtasque mari vicinos haec et Iberos
tenditur, ac Libyam Tyrrhenis navigat undis,
Apennine, tuum caput ultra ; Alpheaque primos
arva tenent fines, et longos litore tractus.
Hac regione Ligus duris fremit usque sub armis ;
hi vecti ad Gades saevis procul usque rapinis :
nec potuit quondam toto commercia ponto
permutare vagus non unis hospes arenis ;
Aemilius donec bellis insignis et armis
abstulit ipse cavas pacati a gente carinas.
Ergo omnes uno populi sermone favebant
victori, et victum Perusinum voce notabant.
"Quo, furibunde, fugis tandem ? Magnone dolore
indignans pudibundus abis ? Bis jam tibi frustra
proelia coepta tuum decorarunt laudibus hostem.
Tertia tela cave concurrant obvia telis.
Haec ubi magnanimus patriis confecit in oris
dux Pandulphiades, Romanam fertur ad Urbem
victor, et Eugenii sanctas effatur ad aures
Pontificis Summi. Quid nos antiqua tenere
Romula sceptra juvat, nostras si barbarus urbes
Celta feri dicione premat ? Proh dura furentum
proelia caeca Italum ! Prisci fudere Quirites
Hannibalem ; nostri cecidit prope laeta Metauri
flumina germanus. Nostras Alphonsus in oras
rex impune feros veniens ductarit Iberos ?
Nec Pater Omnipotens oculis haec viderit aequis.
Qui nunc Parthenopen invisus, et Apula regna,
Lucanosque gravi vastat dicione, sinemus
immani Italiam populari a gente ? Sed hujus
causa mali Insubrum Princeps, quem nullus honeste
tangit amor, sed bella juvant infausta ; premendo
gaudet enim, fractisque ferox exsultat in armis
contra hominum morem ; quem nunc quia vicimus, hosti
non erit Alphonso duris adjutor in armis.
Nunc tibi Phorciades Picenas muniat urbes
aggeribus : tu praesidiis impone volentem
ductorem cunctis Picentibus. Ille Philippi
obruat unanimes collato marte phalangas.
Me sine in audaces Italum dux mittar Iberos,
Alphonsumque sua doceam considere terra."
Dixerat : haec Senior contra cui dicta remittit.
"O Latii sublime decus, quem nulla tacebit
posteritas ; animi vir praestantissime, cujus
una reperta fides populis non vana Latinis ;
quas grates, quae digna satis dem munera tantis
pro meritis ? Nunc, nunc o si mihi tota duorum
pectora certa virum tellus Romana dedisset,
haud equidem extremos dubitem penetrare vel Indos,
aut Parthos signis etiam spoliare relictis.
Sed nec talis erit quisquam, nec tempore tali

bella nefanda alius nostris avertere terris,
te praeter, Sismunde, volet ; tu solus amore
antiquo Italiam defendis : at altera turba
magnanimos oblita Patres, priscumque Senatum,
reliquias miserae insequitur saevissima Romae.
Usque adeo pauci concordes : omnia versat
invidia infelix, totumque perambulat Orbem.
Nec me animi fallit. Regem si in bella vocaris,
invideant Itali. Fama est non rara Philippum
Phorciade natam laetis dare velle hymenaeis.
Quae quonam usque feres ? Picenas forsitan urbes
tradiderit Socero ; tua fors et regna lacesset
insidiis vicina : pudet, semperque pudebit
haec timuisse mihi : miserum me vana timere
cogit inane fides nomen, majorque potestas
tempore in hoc virtus, et quae mensura pudoris
nulla : nec Ausoniae gentis delectus. Etruscos
Alphonsus populos capiat si forte Philippi
auxilio infidi, quonam te opponere tantis
cladibus ? Aut quonam poteris defendere pacto
Italiam ? Alphonsum potius pro tempore tali
jungere amicitia nobis praestabit : iniquis
Phorciadae stimulis odii permotus acerbi
ad nostras facilis partes flectetur : honorem
hunc tibi praeterea totis largimur habenis.
Duxeris Alphonsi, nec non Romana superbus
agmina Phorciaden contra, si forte negarit
restitui nobis Picenas improbus urbes."
Sic ait. Ille Senis dictis persuasus, humi ter
lumina, terque Senem perspexit talia fatum ;
plura nec ingenuo meditatus pectore fatur.
"Cuncta placent quaecumque refers, Pater Optime, dicta :
jam tua jussa sequar, nec me vis ulla tenebit,
Maxime Pontificum, clari quem rector Olympi
tradidit Hesperiis rectorem Jupiter oris.
Talibus Italiae dubiis de rebus agentes
divisere gradus, vestigia uterque ferentes
longius. Ille Deum templis intentus et aris ;
ille autem veterum speculans monumenta virorum
usque gemit famam saxis periisse vetustis
majorum, Curiosque manu, totisque carentes
auribus Aemilios, antiquae nomina gentis,
atque alios, quos est longum memorare, Quirites
miratur : sed mox, quid prosunt marmora, dixit,
aut similes vivis vultus ! Me Musa secundo
carmine, cuncta novem referant mea facta Sorores.
Marmore magnanimum nullus caelavit Achillem
effigiem saxis praeduram immanibus ; ille,
Maeonides quantum vates durabit, Atriden
terribilis noti juvenis turbaverit ira.
Haec mihi, siquis erit nostro qui tempore vates
surgat, signa velim, nec marmora dura, vetustos
verum animi interpres declarat lingua triumphos.
Felix ille quidem, magnum cui saecula vatem
dant sua, qui laudes cernit sua facta futuras.
Nam post fata quid est frustra cur talia curem ?

Si neque sensus inest animis, neque morte sepultis
manibus ullus honos Superis debetur iniquis.
Aut si vera canant, qui rentur inania rursum
ire modis simulacra virum viventia multis
aequore sub rapido, silvasque intrare beatas,
et fortunatos felici ex arbore lucos,
aut majore malo Stygiis maerere latebris ;
quid curant fragilem Fata immortalia famam ?
Quare ego, siqua venit venturis gloria factis
ulla meis, vivum fama me soler inani."
Dixerat ; et magnam multis comitantibus urbem
lustrat, et humanos miseratus pectore casus,
esse nihil firmum miseris mortalibus alta
mente ratus, levium risit ludibria rerum.
Jamque dies septem totis certamina templis
sollicitans, rerum de causis quaerere, quales
Pleiades Atlantis, geminaeque Lycaonis Ursae ;
nec minus unde ruunt amnes, fontesque, lacusque,
et maria aeternis tumeant agitata procellis,
intremat ut tellus, toto sua fulmina caelo
Jupiter inque sinum fundat telluris aquosam
saepe hiemem, et celsos detundat grandine montes ;
quis dedit, ut Tellus campo penderet aperto
aeris, ut vasto jaceat circumdata Ponto,
ut supra aethereae circumstent aera flammae.

## LIBER QVINTVS

H_5 Talia dum studio peragit Pandulphius heros
adsiduo, trepidam penetravit nuntius urbem,
Phordaden generum socero junxisse Philippo
foedera : Picenas Romanis Patribus urbes
defecisse metu ductoris. Ut omnia sensit
sublatis manifesta dolis contra bona ferri
jura, metusque deum, et Superis procedere iniquis,
Parthenopen adiit. Quem postquam ex Urbe profectum
Phorciades sensit, tum fertur ad illius urbes,
vastaturum agros minitans ; sed milite multo
obvia Pandulphi concurrunt agmina, donec
Picenas rediit victor Sismundus ad oras.
Foedera quae tecum percussit, novit et omnis
Italia, et populi, miseros ne victor Etruscos
obsidione gravi premeres ; verum Apula regna,
Lucanosque simul, devictaque jura teneres.
Scis, Alphonse, nihil mentitum, tradis et illi
agmina Celtarum Romanis juncta catervis,
Eugenius quas forte dabat. Tum maximus Heros
Asculon antiquum, Picenis urbibus unam
ex priscis, penetrat, bellisque instructus, et armis
obsidet : illa parum contra adversata, recepit
victorem : hic gessit fasces, et munera magni

Imperii, et priscum Romanae gentis honorem.
Arx Contracta, ferunt sic illam nomine, summis
montibus imposita est : trahitur locus omnis in arcem ;
castellum est insigne tamen, magnumque, potensque.
Hic memorant, postquam muros ingressus, et alta
moenia vi summa, sibi quae restabat, ut arcem
agmine praecipiti, duris instructus et armis,
mille viros, et mille ferens ingentia saxa,
vi propria dum nixus adest, adscendit, et altos
intrepidus muros, atque omnia turbine complet
horribili : cecidere virum fera corda, simulque
amisit validas custodia perdita vires :
sanguine multa tamen multo certavit : ovantem
Picentes populi primum videre, Jovisque
progeniem dixere, Deum quod solus honorem
(haud humana quidem, sed <eadem> divina videri
omnia) Sismundus primis sit nactus ab annis.
Auximon ejecto defixit ab hoste fugatis
Phorciadis : placidi Sismundo moenia Firmi
reddita. Phorciades quae cuncta ut Regna retectis
forte labare dolis, desperans vincere quamquam.
Bella nefanda tamen Superis ingressus iniquis,
cunctaque, Picenis quae plurima ceperat oris,
oppida magna ferox, populos, urbesque relinquens,
Flaminias profugus terras, et Isauria regna,
Gradivaeque gravi praecingens moenia celsae
Marte, quatit trepidos violento turbine muros.
Quae fama ut stupidas Sismundi fertur ad aures,
deserit attonitas populis Picentibus urbes,
pro Patrii qui quisque sui pugnare parati
praesidio adstarent fido ; tum Roma secundis
ominibus sortita Ducem, felicior alter
quo neque in Italia praesenti marte, nec usquam
retulit antiquos patrio certamine ludos ;
absentemque novi donavit laude triumphi
victorem, Romana ferens insignia magni
vexilla imperii miris fulgentia signis,
quae memorant priscos antiquae laudis honores,
atque ea victori dono dedit inclyta Roma.
Sed non, Phorciades idcirco moenia pulchrae
Gradivae cessat saxo pulsare rotanti,
accenditque animum furiis, et suscitat iras
terribiles, fractisque iterum se tentat in armis.
Taurus uti magna pulsus petit altera silva
pascua, fronte minax inimicos fertur in agros,
et stabula alta trucis victoris prima, nec ante
victus abit, latebris idem quam pellat avitis.
Hic (tua Pandulphus nam liquerat agmina) paucis
millibus auxilium miseris portabat amicis.
Ille tamen vario noctesque diesque labore
pulsabat trepidos violento turbine muros.
Candida sed postquam plenum Latois in orbam
menstrua Luna redit, puroque argentea caelo
lampade fraterna sacris micat aemula flammis ;
tum Pandulphiades patria Sismundus ab arce
signa tulit belli ; campoque exercitus illo

constitit, unde vident Gallorum rura superbi
Ausoniae populi, Martis densissima saepes,
qua levis Hadriacas Rubico decurrit in undas,
et parvo laetas humectat flumine terras.
Quae fama ut pavidas pervenerat hostis ad aures,
traxerat unanimes deserta e valle phalangas,
nec sine difficili tellus superanda periclo
tentanti fractos animos, mentemque sinebat
illusam, et subiti fessam formidine : frustra
ire datur medium in montem, pugnante sed hoste
desuper in valles turbatur miles opacas.
Hic ubi certa animo sedit sententia pugna
vertere ab obsessis Gradivae moenibus hostes ;
convocat aere gravi fulgentes voce cohortes,
praecipuosque duces, et pectora fida priori
Marte reperta, bonos dextris ac talibus orsus
infit, et aetherei suspectat limen Olympi.
"Jupiter alte Deum Genitor, qui fulmina dextra,
terrificosque cies vibratis nubibus ignes,
quem mare navigerum sentit, quem daedala tellus ;
tuque Deum Genitrix, turres quae vertice gestas,
quam Phrygii laeti vectant cervice leones ;
tu quoque sancta Venus, genus unde deumque hominumque,
et nymphae fluviorum, animis gratissima nostris
numina ; quique oculis mortalia cernitis aequis
diique deaeque simul, caeli quique atria magni,
quique procul caelo terras habitatis amoenas ;
et pelagi rector Nereu non parve profundi,
amnesque, fluviique, potens nemorum alma Diana :
omnia quippe Jovem quae Numina tanta precatus
esse reor solum ; neque enim divisa potestas
numinis esse potest : unum regnare necesse est
numen idem caelo : justi hic Deus auctor et aequi.
Quem quoniam recti memorem, gratumque putamus,
auxilio nobis pro justis poscimus armis.
Vos quoque ne dubios teneat fiducia mentis,
ignarosque animi, Proceres, qui litore in illo
fudistis magni fugientia forte Philippi
agmina, pro causa quoniam pugnarat iniqui.
Nos amor, et pietas, et nominis illa Latini
gloria, nos veterum moveant exempla virorum.
Quid Decios vulgata loquar jam nomina ? Muti,
quid dextram praedure tuam ? Quid Coclitis uda
vulnera ? Quos virtus, pro qui pugnare decorum est,
aequavit Superis, altoque eduxit Olympo.
Hic amor est laudum, quo vos incensus et ipse
incensos pariter, studio non motus inani,
verum ego non dubia spe concitus ocius oro,
este bonis animis, laetumque adsumite martem
qui mea vos fortuna vocat : victoria nobis
in manibus ; votis quae si non vana secundis
laeta venit, Latium penitus servavimus orbem.
Phorciaden opus est Italis decedere terris,
inde per Italiam pacem placidam fore : sed vos
demoror his verbis in maxima facta volentes
ire magis forsan, quos non tot euntibus annis

bella diu piguit tanto tolerare labore.
Jamque modum exhausti, Proceres, exquirite belli ;
ventum est ad finem : ne vos extrema malorum
a tantis demum moveant vestigia factis,
reliquiaeque breves Ligurum, quos marte secundo
bis fudistis : enim finis laudatur in omni
re magni, socii. Nunc nunc victricia semper
pectora, nunc animos summis intendite rebus,
Phorciadenque meis jam nunc sperate moveri
arcibus, aut misero periturum a milite linqui.
Nonne dies multos Gradivae moenia circum
tempora longa terens, vacuas dum territat auras
incassum Superos dictis incusat iniquos ?
Scilicet Italiae Divique Deaeque potentes
vastanti Hesperias faveant, proh Jupiter, urbes ?
Et nunc Junonis jussu Thaumantias Iris
quod tulit auxilium obsessis, imbresque solutis
nubibus aequatos pleno defudit Olympo,
in nubes, pluviosque jacit convicia Divos
Oriona, Hyadas, Junonem, altumque tonantis
nubigeri Jovis arma, solo quibus eruit urbes,
et nimbos caelo dextra ciet ater ab alto.
His sese excusat Divis oppressus iniquis,
iram, ignominiamque ferens, atrumque pudorem
pectore ; quem quoniam vobis fortuna labantem
obtulit, unanimes dura circumdate pugna,
et poenas laeti tandem sumamus opimas."
Dixerat, et cuncti magno clamore ruebant
armati ferro, et campos atque arva tegebant.
Ceu quondam obsesso dimotis aethere pennis
Idaliae densantur aves, liquidasque per auras
cognita tecta petunt, tacitumque per aera lapsae
ingentem plausis fremitum dant eminus alis ;
agmine sic celeri populantur concita pulsu
aequora litoreas uno certamine terras.
Jam tectis summi sese vertentis Olympi
adsidue, ingenti nata est discordia motu ;
praecipuis late clamoribus insonat alti
regia celsa Poli : sero tum Jupiter ore
caelicolas firmo sedans sermone ; quis audet
fata Jovis contra vanis contendere verbis ?
Quid, Gradive, meam tentas, durissime, mentem,
qui pacem Italiae gemis importunus ? Ego, instent
quae tibi bella, canam, quando haec tua sola voluptas ;
semper enim te bella juvant, tibi proelia cordi ;
haec quoque sanguinea tecum Discordia palla
exsequitur : Quis finis erit ? Belline nefandi
continuam seriem Latiis habeatis in oris ?
Non deerunt quae bella diu, quae proelia possis
Italia spectare tui, Sismundus Iberos
cum vincet bello duros, et litore Tusco
Alphonsum vetita faciet concedere terra :
illo te cernant populi inter proelia campo ;
nunc autem Latias in pace relinquimus urbes :
non deerunt forti Sismundo bella. Nec orsus
plura Deum Genitor caelo me misit, ab alto

accinctum pharetri Lycias gestante sagittas,
Phordaden subita turbarem clade virorum
mortibus innumeris, et amaris corpora telis
magnanimum ipse latens primum popularer equorum,
ossibus alberent ut campi. Jussa Parentis
inde secutus agor claro demissus Olympo,
despectans longe summo fulgentia dorso
agmina Phorciadum ; quae postquam certa notavi
castra oculis, junctis deflexi comibus arcum,
terribilisque venit, nervo resonante sagitta.
Jamque canes summis perierunt montibus albi
infecto caeli tractu, morbumque famemque,
quae duo terrificis evertunt cladibus urbes,
Phorciadae passus totis exercitus arvis.
Esse Deum prolem Pandulphum novit ab illo
tempore Phorciades, steterant cui Numina dextri
parte Deum, timuitque animis pavitantibus omen
infandum, bellumque viris, pestemque virorum :
maxima queis caelo Genitor domat altus ab ipso
ingratos hominum coetus, urbesque Deorum
oblitas ; quales Solymos, urgente superbo
Bellerophonte, ferunt patriis cecidisse sub armis.
Talia Phorciades animis agitabat anhelis ;
quem subitus certo turbavit nuntius ore
adventare ferens hostem, magnoque tumultu
discurri celeri populatis agmine campis.
Extemplo tristi turbatus imagine Martis
venturi ; praesaga mali mens talia namque
sensibus attonitis objectat : iniqua Deorum
fata retro sensit ferri ; tum tristia laeto
dissimulans vultu, medio Dux aggere perstans
egregiis loquitur simulato pectore verbis.
"Huc volat audaci temerarius ecce caterva
hostis, et aerios properat conscendere montes
protinus ; at contra nemo mihi proelia sumat,
usque licet medium cernatis scandere montem
incautos hostes : a tergo bella retectis
sentiat ipse dolis ; vos faucibus eminus atris
insidias medii densis componite silvis,
neve timete minas, neu verba superba furentis :
ad pugnam vocat ille, choros non ducit ad ullos.
Altera deinde manus Gradivae ad moenia duro
Marte ruat, terraque ardescat pugna cruenta.
Protinus ille volet speculari proelia nostri
Martis, et insidias silvis transibit opacis,
circumventus et ipse dolis vestigia frustra
vana leget retro." Sic fatus, iniqua recurvi
per juga montis iter carpit, murosque superbae
Gradivae tentat positis transcendere scalis.
Tum strepita ingenti revoluto machina saxo
intonat aere gravi, vastoque remugit Olympo,
atque minas celsi contundit turbine muri.
Audiit ipse cavo sonitum Sismundus ab antro,
non tulit inde moras obsessis ferre petitum
auxilium ; campoque exercitus omnis aperto
ut stetit, ipse manu parva, juvenumque maniplis

Phorciadas longe speculatus, ut atra cieri
bella cruenta videt, primos vi fertur in hostes ?
Ceu ferus alta Leo permiscens funera mutis
armentis, latos stragem caedemque per agros
immittit, durosque vocans in proelia tauros,
non videt horrendos a tergo exire molossos ;
haud aliter tantos fortis Sismundus in hostes
fertur, et ingentes animo metitur honores.
Obstupuere simul quaecumque superna videbant
agmina, quaeque cavas servabant milite silvas,
quique dolos clauso speculis tendebat ab altis.
Tum prono montis descendunt vertice densae
Phorciadum medio jungendis comibus alae,
et pugna a muris decurritur intermissa.
Parte alia insidiae manifestis hostibus olli
obvia turba fremit, mediumque utrimque coactum.
Sismundum Italiae populi videre superbi
per strages, per tela virum, per sanguinis undas
fervere sanguinea densa inter funera dextra
corpora magnanimum sternentem caede virorum.
Euryalum ante alios, frenis qui jam ora prehensis
magnanimi flectebat equi, cui forte lacertum
dejicit oppositas fortis Sismundus in herbas :
inde alios septem deturbat ab aggere vasto
agmine currentes, aditumque, viamque tenentes.
Sed postquam densos superans evaserat hostes,
rursus in adversas celeri volat agmine turmas,
inclinatque viros omnes, palantiaque haurit
terga virum gladio : veluti cum magnus Orion
impulit in pelagus fugientia nubila, nautis
corda repente cadunt ; neque enim procul altus ab atra
morte tenet pontus, parvo discrimine vitae
ac leti spumis pelago canente feruntur.
Talis anhela timor fugientibus agmina cunctis
Phorciadis quatit acer ; erant praemissa retectis
insidiis longe patefacto proelia campo.
Parte ab utraque dolis clausus Sismundis iniquis
Phorciadum media duro sub Marte caterva
scilicet, et saevis juvenis circumdatus armis,
incertusque animi quid agat ; tamen omnia secum
versabat subitis vigilanti pectore curis.
Tum vero innumeris medium se millibus infert,
speque, metuque celer, Pelagontaque sanguine multo,
et Latagum domuit, ceciditque in proelia saevus
Hippophilus, periit positis et Orestius armis
Iapetionides, docuit quem Phoebus Apollo
mittere tela feris ; sed non ars illa cadentem
sustinuit, mediaque miser raptatur arena.
Hos timor, atque metus, dura Discordia pugna
fert Pandulphiaden Martis germana furentis
et comes una, gravi quae moenia celsa tumultu,
et Superum ingratas evertit funditus urbes.
Ille adeo celeres vertebat in omnia turmas
devia, quaque pedem tulerant, hac maximus Heros
turbidus insequitur ; geminat tum fracta virum vox :
in freta ceu quondam Borea miscente fragorem

horrisonum, fugiunt detecto nubila caelo,
imbriferique fugam rapiunt cum nubibus Austri,
et quacumque vias tenuere, tumescere magni
incipiunt fluvii ; sonitum de montibus audit
agricola infixo terris cum fugit aratro.
Et jam devexo Sol praecipitabat Olympo,
qui ruat Oceani liquidas ni pronus in undas,
Phorciadum avertat cunctas de monte cohortes
dux Pandulphiades : sed nox obscura sepulti
non sinit umbra soli, fuscisque nigerrima pennis
imperfecta opera, et ruptos amplexa labores
demebat curas mortalibus, atque colores
rebus, et ambrosio spargebat fessa sopore
corpora ; non volucrum, neque erat vox ulla virorum,
cunctaque somniferis Dea nigra quieverat alis.
Sed non magnanimi Pandulphi pectus iniquis
percussum stimulis, victor qui nocte sopora
cum socia abscisos intravit Pallade muros,
crastinus ut subitis turbaret cladibus hostem
incautum, et sociis ne proelia nocte capessant
ulla jubet primum, campo quos liquit aperto.
Mox ubi prima novae surgant certamina pugnae,
protinus ardentes cogant in bella phalangas :
se fore praecipitem portis qui rumpat ab altis.
Haec ubi jussa, volat caecis circumdatus umbris,
Gradivamque, latens hostes, ingressus : at illum,
praesidio fuerant omnes qui forte relicti,
suscipiunt lachrimis venientem, ultroque salutant.
Ille animos juvenum dictis ita tollit amicis.
"O mihi fida prius, sed nunc apprima juventus
nota satis, nec non factis spectata supremis,
quae fuga Phorciaden nostris avertet ab oris ?
Aut quid opis demum victus bis ferre Philippus
huic queat ? Obsessos cum crastina vecta quadrigis
purpureis Aurora polo se ostendet Eoo,
in medium dabimus, nec eum defenderit Auster,
vos simul ut memorat defensos imbribus, omnes
viribus atque animis defendi cernat in illo,
tendit ubi campo : Zephyros incuset et Austros,
et strepitus vasti simul exsecretur Olympi.
Illi haud verba volent, faxo, cum spectet utrimque
jam Pandulphiadas in proelia Martis euntes.
Consilio verbis opus est, certamine bello."
Dixerat haec : illi laeto sermone fovebant,
assensusque pares pennata voce ferebant.
Jam vero in castris hostilibus alta silentum
Phorciadum studia, et nullis audita remotis
murmura serpebant pariter, pariterque volabant
inter se comitum, et flammarum exstincta quierant
lumina : telorum crepitus, ac pulsa parumper
arma sonum quatere obstupuit Pandulphius heros,
atque alii Proceres. Paucos, fidosque vocari
ad se Phorciades, et tacitos jubet ire ministros.
Convenere Ducem trepidi sine more vocati,
quos inter dictis sic est exorsus amicis.
"Magnanimi semper Socii, semperque vocati

Phorciade invicto per summa pericla, per Alpes
nubiferas, frustra quos nunc certare superbo
Sismundo, adversis cerno et concurrere fatis :
bellum etiam infandum ; sive hoc Fortuna secundo
jam mihi pulsa loco, sive hoc Jovis ira volentis
cuncta humana palam subitis miscere ruinis,
seu meruere mei mores ; bellum ipse capesso
fas contra, et propere carpentes stamina Parcas.
Quot strages miseri patimur, quam lata tepescant
flumina Phorciadum rubefactis sanguine campis
nota quidem nobis nimium, praeque omnibus alta
funera stant oculis, candentesque ossibus agri.
Namque famem, morbosque Deum, quid acerba meorum
fata nefanda querar ? Quid frustra multa talenta ?
Mitto animas juvenum, Stygio quas miserit Orco,
argenti atque auri impensas, tantumque pudorem.
Quare ego, quandoquidem Superis certamus iniquis,
castra movere paro : Socer hoc jubet ipse Philippus
Insubrum Dominus ; sed vos taciturna sine ulla
agmina quisque tubi medios inducite campos."
Dixit, et ambiguus medio in sermone resedit,
saucius et curis, et vulnere mentis acerbo.
Haec ubi jussa, Deum chorus omnis in alta Tonantis
atria multa fremens toto concessit Olympo.
Multa super miseris tristes mortalibus illi
verba ferunt ; alii curas mirantur inanes,
insidiasque hominum vario sermone loquentum.
Tum Pater ipse Deum stratis excitus ab altis,
"Ecquid, ait, media Superum me nocte fatigant
concilia ? Aut quaenam tali res tempore poscit
sollicitum esse Jovem ?" Contra cui candida Juno :
"Nocte quidem media fas est audite minores
te tibi, Summe Pater ; neque enim dare majus ubique,
nec praestare tuis potes, o gratissime, munus.
Verum magna. Deos tali tibi tempore causa
admoveat, neu te levitas invisa fatiget." .
Jupiter huic contra. "Quando nunc una cupido
me tenet, haud umquam mulier me nulla, nec ulla
me Dea tam cupido captum submisit amori,
jungamus Veneris solitae nova foedera flammae.
Nunquam adeo calvi ; nec cum mihi cognita Conjux
magnanimi Phlegya geniti, quae candida partu
Pirithoum in teneras enixa est luminis oras
consilio aequalem Superis, durosque domantem
nubigenas ; neque enim quondam laetissima visu
me Danae totis exussit fixa medullis
usque adeo, cunctis genuit quae Persea factis
invictum ; neque enim tanto me Europa furore
in falso vidit pelagi freta currere tauro,
quae peperit, Rhadamanthe, tibi Minoa propinquum ;
non Semeles ardor, non conjugis Amphitryonis
magnanimi Alcidae genitricis, at hujus Iacchi
laetitiae cunctis mortalibus ; haud ita nostrum
flava Ceres pectus magno distendit amore,
nec Latona comis insignis, et ipsa tot annis
hactenus ante alias umquam tu maxima Conjux :

usque adeo nunc una tui me summa cupido
incessit, gratumque dedit per membra furorem."
Hunc ingressa dolis contra Saturnia proles :
"Scilicet hoc tempus patitur, cum plena Deorum
atria nostra fremunt ! Potius terraeque recessus,
Oceanumque Deum potius, Tethynque parentes
optat adire animus, curas ut soler avitas.
Me sine ; quandoquidem numquam tibi copia nostri
non deerunt cupido nostri tibi gaudia amoris.
Illi autem multo contendunt tempore duris
vocibus, et nullo inter se revocantur amore,
incidit ira animo postquam gravis, acer utrumque
fluctus agit magno furiarum concitus aestu
insurgens stimulis ingentibus. Unus eorum.
Somnus adhuc tantas poterit componere lites
forsitan amborum ; qui si mihi pareat, exple,
exple animum, patior, si te juvat ista Voluptas."
Jupiter huic contra : "Quid enim, gratissima Conjux,
non dederim ? Sana quid enim tibi mente negarim ? "
Dicit, et amplexum dilectae conjugis ulnis
perfusus niveis petiit, dulcique sopore
victa dedit placidae languentia membra quieti.
Hic Juno e stratis consurgit mollibus, alti
limina tum thalami liquit, quem filius olli
Lemnius auratis et signis fecit eburnis.
Tum Dea somniferum sic est affata Soporem.
"Somne comes Fati, placidoque simillime leto,
i, Pandulphiaden madidis amplectere pennis,
in venasque viri somnos errare sepultas
mitte levans curas, et corda ferocia fingens.
Hic te digna manent tali pro munere dona ;
aurea namque tuis pedibus talaria jungam
laevia, Vulcani summos opus inter honores."
Huic contra dictis respondit Onirus iniquis.
"Haud sine magnanimi venia Jovis ista facessam :
propter eum Oceani cupiam sopire fluenta,
atque Deos omnes, et Tartara nigra sub umbris
perpetuo late pallentibus : omnia namque
consilia, et magni nota est sententia Regis
prima tibi : sed nos aliquid nescire nefandam est.
Illexi, memini, mentem Jovis in mea quondam
obsequia, et dulces divina levamina somnos,
Laomedontaeas cepit cum maximus arces
Amphitryoniades, praedura Pergama dextra ;
Sigaeumque vocant, quod eo taciturna latebant
agmina Graiugenum fera litore, ubi ille solutus
forte sopore redit, sua per praecordia cunctos
caelicolas Genitor pulso turbabat Olympo.
Egregie observans prae cunctis Jupiter ipsum
me, memini, e caelo pontum demittat in altum
ni domitrixque virum Nox atra Deumque, cadentem
servet, et umbriferis labentem sublevet alis.
Tu mihi per saevos jura Titanas, et atrae
stagna paludis, aquas Stygis implacabile numen,
te fore in auxilium, si quid factisve, minisve
rursus agat mecum." Sic fatur : at illa Deum vim

Tartaream, et fontes semper fumantis Averni,
et cava sub terras Ditis testata fluenta.
Ille autem summo praeceps delapsus Olympo
alitis argutae similis volat infima contra :
Chalcida divina, mortali parte Cimyndin
dique, virique vocant : summis in montibus illa
vocibus adsiduis, et questibus aethera pulsat.
Huic Deus adsimilis Juvenem torporibus altis
implet, et oblita perfusa papavera Lethe
ter capiti excutiens defudit in alta soporem
pectora divinum. Jacuit Pandulphius heros
membra levi dejecta Deo devictus, et alte
tradiderat dulci juvenilia pectora somno :
cum sua Phorciades de summis agmina movit
montibus, Hadriacosque fugax descendit in agros,
paucaque, quae strepitent Gradivae moenia circum
arma relicta sinit ; sed cum per plana volaret
aequora, litoras, nocturno tempore, terras,
jam Pandulphiadum latis exercitus arvis
qui tendebat, equum strepitus, fremitusque ruentum
audiit, armari contra quem jussa superbi
Sismundi prohibent. Verum orta Aurora coruscos
extulit ut radios, roseisque invecta quadrigis
jam larga aerios lustrabat lampade montes,
frigida cum vitrei canebat terra pruina,
sensit abesse feros magnus Pandulphius hostes ;
Cisalpiniaci generum petere omne Philippi
subsidium. Tunc ipse Deos, tunc Numina magna
incusans sine more Jovis : "Quid me, improbe Divum,
Jupiter, indecores voluisti volvere casus ?
Haecine nostra fides, Italis haec reddita terris
pax antiqua ? Ligus nova bella, jubente Philippo,
sub Duce Phorciada nostris geret impia Regnis
forsitan, et Gallos Capitolia celsa tenentes
Roma videbit adhuc ? Nec tu, Pater optime Divum,
respicis humanos aequo , bone, lumine casus ?
Namque ubi nulla fides hominum surgente tumultu
restabit Latio, venient in foedera Reges
externi, Ausoniasque volent sibi poscere terras.
En ferus, en nostras veniens Alphonsus ad oras
adventu, et fama populos jam terret Etruscos,
quem Pater omnipotens bello dedit esse superbum,
non ut fata Deum, non ut pia foedera solvat."
Talia sollicitis agitabat pectore curis
Chalcoboum, Eurybromumque vocans, queis talia mandat :
"Ite Jovis magni praecones cura, virumque,
Alphonso et celeres jam nunc mea dicta referte.
Non ego contra illum scelerata capessere bella
regnorum Patriave avidus concedere terra
constitui ; me magna movens injuria martem
nunc aget Etruscis agitare in proelia campis.
Talia dicta tibi referunt : Tu spernis et illos
et mandata Ducis. Scis hoc, Alphonse, nec usquam
mentitum magno genitum Jove." Talia Regi
dixerat Alphonso forti Jove natus Apollo.
Ille super magni tanto victoris honore

corda parum tristi laetatus mente quievit.

## LIBER SEXTVS

H_6 Extulit interea radiis ardentibus Orbi
os croceum roseis invecta Aurora quadrigis.
Jam vero ante alios fortis Sismundus, et omnes
victores longe Populonia tecta relinquunt ;
captivosque duces, nec non fatalia secum
castra inimica trahunt : ante omnes maximus aevo
Iphitus ibat, eques quondam, nunc colla catenis
vinctus, iter duris pedes arripit, omnia Divum
increpitans saevis crudelis Numina dictis.
"Haec me, saeve Parens, aevo tolerare supremo,
Jupiter, optatos donaras impius annos
scilicet ut felix quondam, nunc sorte suprema
vana Fluentinis spectacula civibus essem,
queis coram magnum quondam Nicea subegi
viribus indomitum ? Sat jam mea vixerat aetas
cum ferus Ausonias veniens Alphonsus ad oras
bella nefanda tulit populis infausta Latinis.
Tunc ego cruda nova cingebar cana senecta
Tempora ; tum poteram dubio me credere bello.
Nunc autem, incurvo bos ut vetus aeger aratro
raptus, Maeonias ductor mactandus ad aras.
Felix ille, mori laetis cui contigit annis !"
Dixerat, et gemitus crebros captiva remittunt
pectora, quos victor dictis sic ipse benignis
solatur, maestumque levat sermone timorem.
"Magnanimi Celtae, tuque o modo queste superbam
Iphite, fortunam ; quae vos dementia mortem
vana timere jubet ? Non hic mea gloria, campo
quo victor fueram sed eo ; nec bella tulissem,
Celta tibi, nisi Rex nostras venisset ad oras.
Nec vobis haec est injuria debita ; verum
Alphonso, atque animis regnantum semper avaris."
Sic ait, et captos denso jubet agmine duci.
Ipse autem celeri per plana, per ardua passim
fertur equo paucis comitantibus. Invia pulsis
lustra reperta lupis, et odori monte molossi
montivagas agitare feras, cervosque fugaces
surgentes longe sublato in cornua collo.
Jamque dies geminos curis avulsus amaris
praeteriit studio tali, longumque peregit
laetus iter, primum muros cum vidit, et urbem,
atque Fluentinas procelsa Palatia turres.
Obvia victori procedunt agmina cives
innumeri. Qualis nigris cum venit ab Indis
Liber ad Ogygias currus Pater egerat oras,
obvia Cadmaeis occurrunt agmina portis :
talis erat positis pulcher Pandulphius armis.

Laurea quin etiam portabant serta Senatus
longaevique Patres, Victori praemia laudis,
antiqui decus Imperii, Vatique, Ducique
munera, nequaquam non affirmata favore
majorum ; quamquam non una ex fronde coronam
innexi dignos referebant laude triumphos.
Quippe ferum Alciden velavit populus albis
frondibus ; insanoque hederae sua serta Lyaeo ;
ille licet totum monstris subduxerit Orbem,
ille triumphatos primus superaverit Indos.
Fama sed antiquis magis et magis inclyta factis
prima fuit, multis Phoebum petiisse sagittis
terrigenam Pythona ; soli qui jugera centum
ventre premens, fama Graias tremefecerat oras.
Ille revolventes dissolvit arundine tortus,
et procul incurvans divinis viribus arcum,
misit in horriferas telum penetrabile squamas ;
sibila praeterea ter colla volatile ferrum
clausit, et undanti complevit sanguine guttur,
ac largo latos rubefecit flumine campos.
Ille tamen contra, quantum vel Parthus in auras
projicit aethereas versam post terga sagittam,
tollit humo capita, et vastum dat in aethere gyrum :
tum sonitu ingenti, revoluto corpore, tellus
obstrepit, et subitae gemitum traxere ruinae,
templaque concusso tremuere Themistis Olympo,
e campoque gravi cessit Parnassus hiatu.
Tum vero alma Jovis Latonae ac lucida proles
Phoebus, in arma magis furit, et se se horridus ira
suscitat, ac totam revocans in proelia mentem,
spiculaque accinctus, circumtectamque pharetram
horrendum sonat, et jaculis obsistit amaris,
donec eum in solitam deturbat ab aggere terram.
Ex illo Arcitenens pro tanto Phoebus honore
perpetuam laurum juvenili in vertice gestat,
vatibus, ac meritis ducibus quae praemia quondam
una fuisse ferunt : facundae his gratia linguae,
illis grande dabant quod proelia ferrea nomen.
Ergo utrique pari pariter se fronde colebant.
Quare age, cur viridi cinguntur tempora lauro
expediam, et verae referam primordia causae.
Laurus ut aeternum fondescit, et alta coruscat
sole sub aethereo semper vergentibus umbris,
fama Ducum, ac Vatum viret indelebile nomen.
Talia Sismundo portabant dona superbi
Italiae populi, quos magna Fluentia pascit.
Atque illi, ut propius. victorem cernere magni
Alphonsi potuere, ferunt ad sidera laetis
vocibus unanimes nomen, Pandulphe, superbum,
atque tuas laudes ; et te, Rex magne, corona
circumstant properi densa : quos inter honestum
detectus caput in mediis tot millibus omnes
excipit eximios ignota a plebe Quirites ;
atque haec in mediis sic est effatus Etruscis.
"O veterum gens prisca virum, quos dulcis in oras
Lydia Tyrrhenas transcripsit, et esse Ministros

divorum quos Roma pios agnovit, ut omnes
vos video, amplectorque libens ! Ut sancta Senatus
ora pii tueor ! Quo mens mihi fervet amore
et laudare viros, inimicaque pectora saevo
Alphonso, et duris, quae gens est barbara, Celtis !
Quos quoniam cunctos campo devicimus uno,
dent nobis laetos capta de Gente triumphos,
exemplum cunctis certantibus inde futuris
Italiae populis externa moventibus arma.
Et quoniam auspicibus parta est victoria Divis,
templa coronentur festis florentia sertis ;
namque Jovi libare placet. Vos tempora lauro
cingite laeta, quibus victoria laudis honorem
hunc dedit : ite alacres, datur haec pro laude corona,
excitet ut seros haec fama futura nepotes."
Dixerat, atque uno Proceres sermone favebant,
assensusque pares pennata voce ferebant.
Nec bonus aspernans omen Pandulphus amicum
invitat nitidis indutos vestibus ipsos
primores Lydos, albaque in veste Senatus
curribus auratis intentus, equique nivali
stant candore pares, et frena sonantia duris
dentibus evolvunt calidis ferventia spumis.
Quatuor Anchisae de gente celerrima proles,
quod genus e rapto Ganymede volatilis ipse
Jupiter in terras caelo demisit aperto,
et Regi poenam Trojano, et praemia Nati
reddidit ; acer equas Boreae de gente profectas
suppositas furto cupidis admovit equis Rex
Anchises hominum, clam Laomedonte : nec ante
victor abit, tanta quam duxit origine plenas
Dardanium ad fluvium, tondendaque prata solutis
reddidit : hinc fortes generoso sanguine nati
bisseni auripedes ante Euros ire parati,
et pedibus siccis rapidum superare Scamandrum,
quem vocat et Xanthum Superum chorus : inde creatos
quatuor Aeneae Genitor dedit inclyta circum
moenia Dardaniae, currus agitare superbae,
quos Sthenelus victor magnum Diomedis honorem
duxit ad Argivos fortes, Graiumque phalangas.
Hos Aetolus equos profugus mox Apula praeter
litora, et antiquos egit Calydonius Harpos :
hac et stirpe sati juvenes, quos Apula pascunt
rura, pari ingenio, veloces, certaque eorum
cognita progenies nostros manavit ad annos.
Sanguinis hujus erant Sismundo dona jugales
impavidi, et prisco generis candore decori.
His gravis argento currus juga tendit et auro,
tum radiis octo fulgentibus aere ; sed illis
ferreus axis inest ; aeterna volumina curvae
ferrea versa rotae, vestigia cana polito
limite, et argento fulgent capita aequa superbo
plemnarum ; at currus micat aureus, asper, et altis
quatuor actus equis. Talem conscendere currum
dux Pandulphiades elatus honore supremo
jussus erat vario a Populo : nam rumor in omnem

Italiam trepidis jam tum se fuderat alis,
qua pater aethereas tumet Apenninus ad auras,
atque utrumque videt dejectum vertice pontum.
Fama virum Deus est, quae multa per ora voluta
ingentes Populos, et magnas fertur ad urbes
saecula prona sequens, et in omne renascitur aevum.
Ergo aderat Latio e multo delecta juventus
conspectura Ducem, et miros visura triumphos ;
et quacumque Virum pressis gestaret habenis
currus, erant passim varia regione locati.
Tunc et aperta sonant rauco certamine Templa.
Prima dies victi pandit tentoria Regis,
armaque Celtarum laetam monstrata per Urbem,
telaque capta ferunt lato fulgentia ferro.
Tum galeasque graves, tum scuta micantia fulvo
aere procul, clypeosque leves, ocreasque, jubasque,
ac thoracas, equum ter quinque sonantia frena
Alphonsi ex auro ; una equiti quae gloria longe
dulcis, equoque decus quondam fuit, atque vetustae
caesa ferunt Celtis patriae monumenta relictae.
Post haec argento solidos crateras, et auro,
poculaque, et miris portabant cymbia signis.
His consumptus abit cunctis memorabilis annis
ille dies ; croceo sed enim cum Phoebus Olympo
postera frugiferis referebat lumina terris,
jam tum rauca procul ; neque enim jam mite canebant
classica, nec tenui comitata est tibia cantu ;
at cives hesterna petunt loca sedibus altis.
Tum matres studiis ingentibus, atque puellae
innuptae, celsis magnum per inane fenestris
despectant Proceres, ipsum simul agmine Regem
Vestigant oculis : pueri crateras habebant
tempora verbena praecincti candida laeta,
ante aram intonsos exculti flore capillos.
Aurea quin etiam gestant carchesia sacris
vasa decora piis : Alphonsi maxima post hos
pocula, quae campo cepit Pandulphius aequo,
tum vestes, habitusque novos, et barbara gentis
tegmina portabant juvenes, laetique fremebant.
Post hos Alphonsi vehitur turbantis imago
quadrijugo insignis curru, fidique ministri
post currum, et capti Tyrrheno in litore Iberi.
Iphitus ante alios Celtarum maximus aevo,
altera qui multis, vivebat saecula lustris,
atque illi fuerant dudum confecta senecta
mortua saecla, quibus fuerat nutritus, et ortus ;
ille simul senior tali se laude superbus
anteferebat : ubi captos respexit Iberos
a tergo, et miserum vidit procedere vulgus :
"Jupiter, heu patrias quantus, Pater, occupat oras
luctus ! Et extremum miseram Taracona fatigat !
Quin et Getuli, nullis gens inclyta frenis,
et Numidae, atque alii, terris quos omnibus Afris
vicimus, Ausonio tandem gratentur honori.
Nam quae firma fides ? Quando fortuna superbos
Celtarum populos Latiis servare triumphis

ausa magis, quam nos tepido domuisse sub Austro ;
aut qua magnus Atlas celso caput urget Olympo ?
Hac regione, Pater Divum, si marte domares,
nos periisse velim, gens est ubi barbara facti
inscia praeteriti, monumentis cassa paternis."
Sic ait : at post hos septem gestare coronas
regnorum Alphonsi jussit Pandulphius heros
in niveis sublimis equis, chlamydemque rigentem
indutus, fulvo manibus quam texuit auro
diva puellarum miris Isotta figuris
incipiens densos Divum praetexere amores,
flumineaque Jovem cygni vestire figura,
mollibus in squamam plumis haerentibus, alis
ad gremium Ledae quoties lusisset apertis :
Phoebus uti magno Daphnes incensus amore
flumina transierit rapido Peneia cursu ;
illa velut passos nivei cervice capillos
defundi a tergo placidis dimitteret auris.
Hoc decus, hanc speciem variaverat arte Puella,
illa eadem felix Sismundo juncta superbo,
cujus ob egregiam formam, moresque, genusque
Jupiter incaluit ; toto discordia caelo
orta, Deos agitans errabat : at ipsa Puella
consilio Divum, dulcis dum vita maneret,
esset amatoris primi, defunctaque vita
diva Jovi aeternum caelo se jungeret alto.
Tali veste decus Latii immortale recepti
gentibus a diris victor, multaque verendus
majestate sedens, ramum viridantis olivae
signa bonae pacis dextra gestabat ; at altum
serta caput tenui mordebant laurea nodo.
Itala post celsis veniebant agmina signis,
et classes equitum pariter, celeresque ministri,
atque omnes pariter laudes, et carmina magno
Pandulpho referunt. Qualis cum, Phoebe, relicta
Delon adis Lycia, resonant juga montis, et altus
Cynthus, et impulsum late fragor urget Olympum ;
talis erat strepitu in medio Dux magnus, et ora
insignis, laetam tali penetrabat in urbem
ordine : sic demum magni modus esse triumphi
tum Pandulphiades curro sic fatur ab alto.
"Nos alias ire ad pompas, praeconia laudum
altera, dura quidem, sed non inimica trophaeis
das, Fortuna, meis ; quando licet aequa venires,
invidia tamen obliqua, cui plurima adhaeres,
invidisti animas Procerum tot lecta meorum
pectora ; quos dulces possent ne cernere ludos
abstulit illa dies, quae prima in bella vocarat,
aut in fata magis, sic Di voluistis, acerba
ante diem : hos equidem digno sine honore relinqui
crediderim esse nefas : neque enim sine laude jacentes
procubuere prius, nostri quam parte triumphi
esse suis possent meritis. Qui sanguine mecum
hausta suo magnis decorarunt proelia factis,
indecoresne sinam dignos majore quotannis
laude viros ? Nullis referentur digna sepulchris

praemia ? Nullus honos ? Meritos nec fama sequetur ?
Hinc bona libertas ex quo reparata superbis
Lydorum populis nomen reparata per annos
templa sonent cunctos ; hujus quoque nominis esto
ille dies festus, memoret qui facta cadentum
finito hoc bello Procerum, ludique per urbem
libertate animos pro cara in maxima semper
facta vocent. Primi vos hunc indicite morem,
praemia sint veterum, et populis quae exempla futuris,
principiumque mihi tanti nascatur honoris.
Praeterea memores nostri, Gens aequa, triumphi
ferte Fluentini venturis digna quotannis
praemia victori ; superet quicumque fugaci
vectus equo juvenum : verum haec ea praemia sunto
intextum villis ostri velamen et auri,
munere quo merito cursum dignemur equestrem."
Sic Pandulphiades : populi laudare faventes
et firmare diem. Sed postera visa sequenti
ordine prae cunctis celebrandis optima ludis.
Jam late somno se corpora fessa laboris
oblitorum hominum dederant, placidoque sopore
lenibant duras tranquillo pectore curas.
At vero Alphonsus praeceps, insomnis, amicam
Parthenopen, fidasque gravi certamine textas
tendit adire : levis quamquam, tamen aura volentem
impedit, adversique vetant concedere venti.
Ut tandem optatam tetigit miserabilis urbem,
ingemuit, maestasque furens dedit ore loquelas :
"Hoccine principium Regnorum ? Externa petebam
quaecumque, atque Italas audebam poscere terras :
nulla movere loco potuere superba probati
facta nefanda Viri ; nec me jam vincere amicis
Antiphates verbis, cujus si credere mallem
consiliis, equidem nostram Rex tutus ad urbem
hanc debellatis remeassem victor Etruscis ?
Sed fortuna Deum, et votis contraria nostris
fata Jovis prohibent." Dixit, celsamque petivit,
multa gemens, arcem muris quam fecerat ipse,
aeratasque fores, pontesque aptarat ahenos.
Hic ubi nocturnus dubiis se condidit umbris,
custodes arcis primum, fidosque clientes
adstantes reducem circa, lacrymasque tegentes
solatur vultu placido ; Natumque dolentem
post vocat a densis juvenem Pherinanta ministris,
raraque deductis referebat verba loquelis.
"Nate, mihi longa vitae jucundior aura,
nate, decus nostram, quo sospite regna relinquo
nondum Itala externis avidus considere terris,
non tamen unus edet cunctos Sismundus Iberos.
Herculea haud potuit duras vis vincere Parcas :
usque adeo nihil est miseris mortalibus umquam
perpetuum ; nosmet vario spectemus ut aevo.
Omnia sunt nostris loca debita marte trophaeis,
qua tepet Oceani, qua caerula Tethyos ora.
Nunc autem paucis, succumbere nescius olim
ter tantis, totidemque, trahor, Fortuna, tua vi :

usque adeo laeta est Superum lasciva potestas
casibus humanis ; neque enim sine mente Deorum
mirandis alterna modis variare videmus
omnia, crede mihi ; verum Pater ipse superno
limine fixus agit sortes et fata sub alto
aethere, tum varias gaudet mutare figuras
omnipotens, ut quippe fuat qui solus, honorem
conveniat reddi cui tantum, et praemia rerum
omnia ; nec laudi esse locum mortalibus ullis,
aethereo sed cuncta Jovi debere, secundo
quae sunt gesta Deo. Si Jupiter ipse jubebat
surgere, cui Fato volventi pareat omnis
Italia, et prisci deductus origine sanguis
Lydorum, Troumque genus, veterumque Pelasgum,
qui terras primum quondam coluere. Latinas,
cum Jove victor eat patriis Sismundus in oris.
Quod si Fata vetant Latio considere Celtas,
sunt mihi diversis septem diversa sub oris
regna, quibus liceat tutam deducere vitam."
Haec ait Alphonsus, contra cui pauca remittit
filius. "O Genitor, quid te fortuna diebus
infractum paucis jubet indubitare ? Fatebor
vera equidem, neque te diversa ambage tenebo.
Ipse ego magnanimum Pandulphum in bella vocabo
quae velit ; ac jam nunc fluvios spectare cruentis
caedibus undantes videor, totamque sub armis
Ausoniam, et duros Tyrrheno in litore Celtas.
Nec nostri tu causa mali ; sed maximus ille,
maximus ille Deum, ac duri vis ferrea Fati ;
aut Fortuna quidem melior, si vulnere primo
funditus interiit, nec adhuc spes ulla medendi est ;
cedamus Superis, et, agunt quo fata, sequamur."
Talia dicta volant juveni, cui maximus Heros :
"Di tibi, quando animos tales gestare dederunt
pectore, tale ferant optatis robur in armis."
Haec dum verba pio referunt sermone vicissim,
exiit Oceanum roseis Aurora quadrigis.
Jam vero in coetus Sismundi ad limina inulti
Lydorum adstabant ; alii frenare jugales
insignes cursu properant ; pars lata viarum
strata superba tenent : tecti Pandulphius heros
ut vero gradibus primum se mittit ab altis
ante alios, stupuere viri, matresque, nurusque,
innuptae, nuptaeque simul, juvenesque, senesque.
Chalcoboum ille celer praemittit in agmina fidum
praeconem, arguta qui personet omnia concha,
nuntiet ut cursus cunctis animosus equestres.
Haud secus ille facit celerans ac jussus, et urbis
innumeras clangore vias opplevit, Etrusci
quo clamore ruunt trepidi : tum quatuor ipse
ducere jussit equos, phaleris quibus. Aurea pulchris
pectore signa micant solidis fulgentia bullis.
Primus erat sonipes Sismundi praeda potentis,
Alphonso rapuit campis quem victor Etruscis,
insignis cursu ante alios, quem miserat olim
rex Numidum Alphonso reddendi insigne tributi.

Vectus eo celeres vertebat in obvia cervos
agmina anhela canum, latratuque alta sonabant
litora multivago, et fremitu nemora atra gemebant.
Ast alios nec tantus honos, nec fama secuta est,
ignotis prope jam Dominis : tum quatuor aequis
viribus hos pueri pressere, manuque flagellum
arrectis tenuere animis, laevaque fluentes
colla per ante jubam tremulae cervicis habenas ;
et jam carceribus vario clamore reclusis
fronte pares trepidi arrecta pede dura sonabant.
Rymphus habet laevam sonipes Pandulphius, atque
Cyllarus, insigni ducit quem corpore Picus ;
at dextra gemini Dorylas, et Daedalus impar
corpore, verum habitus cursu non vilis equestri :
ac pariter cuncti spatia aequa, et signa relinquunt
a<l>itibus similes pernicibus, aethere ab alto
nubila quae tranant veloci turbine magno
cum sonitu, et teneras rumpunt stridoribus auras.
Haud aliter referuntur equi, primoque favore
attritas legere vias, puerique micanti
corde fremunt, et equos ad praemia cognita flectunt
verbere continuo : superas it clamor ad auras.
Tum studio ingenti certant, ductoque flagello
nunc equitem, nunc terga notant fugientis Ephebi ;
et mala verba volant nunc hos, nunc irrita ad illos !
Tum pariter glomerata fuga vestigia caeco
pulvere magnanimum longe populantur equorum.
Jam loca visa procul pulvisque, oculique sequuntur
spectantum juvenum, et vario clamore faventum.
Ecce propinquabant portae, pariterque volabant,
cum sonipes longe Pandulphius, ante frementes
tres abit, acer eques sequitur quem Picus ; at olli
a tergo gemini instigant clamore priores.
Vix primi amoto linquunt vestigia cornu
pulvere pressa cavo, delent simul illa sequentes,
aut magis aere cavant ; adeo calcaribus urget
alter et alter equum, pariter fuga turbida campo
tollitur, ac sonitu populata reverberat arva,
alterutroque pedum tremit excita terra tumultu.
Porta relicta fuga postquam dedit ampla patentes
omnibus una aditus, tum vero undantia denso
pulvere lata vident longarum strata viarum.
Ergo omnes referunt se se sub tecta, viasque
deseruere datas ; veluti cum turbidus Auster
impulit in pelagus volitantia nubila longe,
quae ponto referunt venti Tyrrhena moventes
aequora nigra procul : tenuit defessa timore
vix genua, ut vidit curvo de litore pastor,
tum pecus ipse tremens cava sub spelaea reduxit.
Rymphus Herum ut vidit, stimulis agitatus acerbis
evolat, et Zephyris, et Iapygis ocior auris,
optatamque tenet primo certamine metam.
Pice, secunda tenes victor loca ; tertius [LACUNE]
Daedalus ingenio ; Dorylas pudibundus in omni
plebe petit latebras, studio cui deinde vocato
dona dedit magni solamen triste doloris

auratam chlamyden Sismundus ; at aurea vobis,
Daedale, per varias velamina secta figuras,
et tibi, Pice, dedit medias, laetissime, partes.
Haec ubi gesta, viros dimittit, et aureus acri
vectus equo celsas Patrum se vertit ad aedes.
Jam Sole hesperias dudum labente sub undas.
Nec minus ante alios trepidi venere ministri,
qui cererem plenis statuant et pocula mensis
laetitiae cunctis mortalibus aurea Bacchi
cymbia : secta ferunt variarum terga ferarum.
Postquam pulsus amor vescendi, carmina eburna
effudit Clythius cithara, quae laetus Apollo
integrat, et mensis canit haud ingrata Deorum.
Circumstant Proceres arrectis auribus : ille
ingeminat solitum digito redeunte tenorem,
atque eadem repetit numero modulatus eodem.

## LIBER SEPTIMVS

H_7
Jam domiti somno dederant sua membra sopori
Lydorum Proceres ; sed non Pandulphius heros,
di versis agitans animis quae bella gerenda,
quae ponenda forent ; justisne invaderet armis
Parthenopen, duris an se se inferret Iberis
Ausonias extra deducto milite terras.
Omnia sollicito volvens quae pectore, tandem
demisit dulci juvenilia membra sopori ;
Cimmerium Genitor laetis cum pulsus ab arvis
visus adire sui certissima pignoris ora,
atque his affari natum cum vocibus ipsum.
"Nate decus nostrum, Sismunde, celerrime Regum
cunctorum ad magnas ventura in saecula laudes,
accipe Pandulphi Genitoris amica lubenti
jussa animo, et memori dicam quae mente teneto.
Est procul Oceano in magno, quam nomine duri
fortunatam homines, Superi dixere Beatam,
insula, qui Zephyri proles Psycheia regnat,
quae tibi, nate, viam, duros qua vincere Celtas,
Alphonsique alios iterum sperare triumphos,
nec minus invisas possis Taraconis ad oras
ire dabit Vates venturi praescia Fati.
Huc te, Nate, refer ; nam te nec spernet amantem :
hic sibi Fama tenet templum Dea magna virum vox.
Post ubi purpureos inviseris ordine lucos,
qui tibi perpetuo lucescent sole, ubi campi
Elysii memorantur, adis contraria montis
transgressus latera intrepidus ; sed eo ire memento :
namque ibi perpetuis tellus absconditur umbris
nocte superjecta, quam non ferit aurea lampas,
nec Phoebi croceo fulgor nascentis ab ortu,
seu supra terras, seu se libraverit infra.

Talis opaca silens apparet noctis imago
turbida, nec dubiam patitur rarescere lucem.
Hic ferrugineae nigri formidine silvae,
et caligantes aeterno horrore tenebrae :
hic via, quam nigram Superi dixere, sed usque
illa trahit stygias Erebi implacabilis umbras,
atque in Tartareos Manes immittit hiatus.
Hic quicumque nefas furiis immane secuti,
quique fidem, et vana violarunt foedera lingua.
Quin tibi terrigenum memorabit dura Gigantum
supplicia, et Tityi jecur insuperabile rostro
vulturis, et saxum, gestat quod Sisyphus, ingens,
Sisyphus Aeolides lucri cupidissimus omnis,
Tantalus ut Stygiis latices sitit impius undis,
ut Danai natas maculosa cribella fatigent,
ut rota praecipitem rapidis Ixiona ventis.
Haec te, Nate, docens in Templa superba reducet ;
hic Heroes erunt Alcides maximus, atque
Bellerophontei decus insuperabile monstri,
et quicumque piis coluerunt sancta Camenis
carmina, qui rerum causas novere, Jovisque
consilium, atque vias semper volventis Olympi,
et qui divitias aliis posuere repertas,
qui pauci nemora alma tenent, quos verus honestae
cultus amicitiae longis exercet ab annis.
Hos inter Pyladen, ipsumque videbis Oresten,
Thesea, Pyrithoumque simul, nec parvus agetur
noster honos, nostrumque genus, quod solus Olympo
aequasti magno ; neque enim pudet ista fateri,
nate, tibi : quamvis nostrum quoque nomen et ingens
atque illustre fuit, qui Gallica Regna subegi."
Dixit, et in tenues fugit intractabilis auras.
At juvenem attonitum liquit sopor, ossaque multo
cum sudore tremor summos erexit in artus,
obstupuitque animis ingentibus, atque micanti
corde fremens, tacitis vigilat turbatus in umbris,
omnia magnanimi secum praecepta parentis
mente movens tacita, Libycas an naviget oras,
anne per Hesperiae populos ignotus ut hospes
Cimmerios petat arte locos. Sententia menti
visa viro melior Cyprum simulare repostam
cernere velle, procul Cleophaeae moenia natae
visere, quae Cypri regi gratissima conjux
una fuit, Cleophe, mediis quam pulchra Mycenis
edidit in teneras jucundi luminis oras,
quam pater Italia Graio dedit ire marito
foedere cognati priscos dignatus Achivos
sanguinis optato Malatesta superbus ; at illam
Graiugenum patrias rex amplus abegit ad oras.
Ille ut visa satis digna haec sibi causa propinquae
visendae, simulare vias, atque aequore cursus
flectere spumigeros patrias exardet ad urbes,
scandere magne tuum caput Apennine, suasque
Sismundum ad patrium celsas descendere ad arces.
Ac velut acer equus subitis calcaribus actus
improvisi equitis glomerata volumine crura

tollit humo, alternans eadem, referensque, ferensque ;
talis in ambiguas heros sua pectora curas
ducit, et ingentes animorum pandit habenas
praeceptis longe patriis, silvasque beatas
optat adire animus, multamque in singula noctem
absumens, placitis capitur circum omnia curis ;
nunc volat a toto mens corpore, laetaque magnum
praevidet Oceanum, rursumque in litore Celtas
Tyrrheno, atque Italis cernit considere terris,
atque iterum sese laeto clamore vocari
denfensorem Italae per magna pericula gentis
omnibus Ausoniae a populis trepidantis : imago
venturi praesaga virum ter talis ovantem
liquit ; et illa quater mentem subiisset, et omnem
explesset numerum venturi praescia Fati,
ni strepitus juvenum vario sermone loquentum
fecissent lucis memorem ; nam pulcher Eoo
Lucifer actus equo roseum transcenderat axem
aurorae, croceo lustrabat ut aethera curru.
Hic posquam thalamum fidi intravere ministri
surgit, et exiles tunicas indutus amictu
purpureo, chlamydemque super circumdatus auro,
hinc ad nobilium miranda palatia Patrum
magnanimus Pandulphiades comitante Senatu
tendit ; et ut merito grates egere, quod illis
libertatis honos Sismundo carus ab uno
redditus, aeternos populis duraret in annos ;
plurima praeterea reddantur munera ; vestis
aurea, tum lapides extremo Oriente petiti,
tum phalerae insignes, trepidum oblectamen equorum,
atque auro quinque ex solido mira arte lebetes,
in medio quorum saevi mugire leones,
atque videbantur patulo consurgere rictu.
Talibus exsultans danis Pandulphius heros
urbe Fluentina patrias concessit ad arces.
Tum geminis populos natis parere jubebat
Flaminios, ac magnanimo Picena Roberto
oppida, tum pulchro Malatestae regna vicissim
fraterni dicione regi, jam per mare donec
caeruleum fidas rursum remearet ad oras ;
bissenosque viros urbe unaquaque legendos
instituit, quibus Imperii jus omne regendi
permisit, fidos Regno, natisque ministros.
Eximit extemplo multis de navibus unam
insignem, et celeri facilem quam remige norat
quinquaginta hominum numero, quos saepe sonoris
fluctibus Hadriacis ventoso exercuit alto.
Quos ubi delegit, vestes, et vina, ceresque
tosta focis posita est curvae spes magna carinae.
Postquam constituit tumido se credere ponto,
litore discedens notos affatur amicos :
"Vobis nostra, viri, commendo pignora, donec
a Cypro patrias remearo victor ad orbes."
Vix ea ; cum ferro retinacula solvit acuto
caerula salsa secans spumosi dorsa profundi,
pontivagoque dedit sinuantia lintea malo,

surgentem a patrio respectans culmine fumum,
jucundos colles, et laeta cacumina Colchi
montis, amoena videns optandae litora terrae.
Sed postquam longi patriam abscondere reflexus,
horruit, et totis genua intremuere medullis.
Jamque dies totos viginti absumit eundo
dorsa super rapidi maris horrida, et humida ponti
aequora, cum Siculos verrebat remige fluctus.
Hic jubet ignaros comites dare vela furenti
Tyrrheno, et Libycas cursus inflectere ad oras.
Obstupuere viri Cyprum quod linqueret ipse :
jussa tamen trepidi nullo cunctante facessunt ;
nec minus antennis detorquent vela volutis.
Quos ubi jam medio vidit versare profundo,
nec minus ignotis distendere lintea ventis
Jupiter, unanimes cogebat in aethere Divos.
"Convenistis eo, vasti qui caerula ponti,
quique procul caelo terras habitatis amoenas,
atque omnes alii, praeter quem nomine cuncti
Neptunum appellant ; dapibus nam solus edendis
Aethiopum ad fines primos venit usque piorum.
Quo sine tunc aliis simulato pectore Divis
Jupiter haec : "Equidem, Superi, mortalia rebar
corda virum caeli strepitus horrere frementis
interdum, et saeva mitto quae fulmina dextra,
murmura purpureo referunt quae plurima ponto,
quae terris late incumbunt, quae nubila rumpunt.
Plurane terrigenae scelerum meruere Gigantes
fulgura, frondosa cum stringere Pelion Ossa
conati, aeratisque deos avertere tectis ?
Nam mihi Phlegraeae succurrunt proelia pugnae.
Ecce mari medio parva celer ipse carina
fertur ad Oceanum patriis Sismundus ab oris,
regnaque visurus secreta, beata reviset
arva virum, atque alium penitus se cernet in orbem
transmissum, et tacitis mirantem cuncta sub umbris.
Tertia pars rerum restat ; caelumne petetur
arte aliqui, divi ? Sed enim tua furta, Prometheu
causa mali fallax tanti, mortalibus ignem
ausus ab aethereo Solis depromere curru,
ingenium varias flexisti primus ad artes ;
haud impune tamen, poenas si vertice pendis
Caucaseo, atque avibus semper decrescis avaris :
haec te digna manent antiquae praemia laudis.
Quare agite, o Superi, quando huc acesse jubebo
concilium in magnum cunctos, sententia quae sit
dicite cuique mihi ; neque vos mora longa silentes
dique, deaeque diu teneant : submergere puppim
vultis, et audaces disperdere gurgite nautas ?
Anne sua potius juvenes nos forte sinamus
coepta dare undisono temeraria carbasa ponto ?"
Hic dea Sismundum semper quae prima fovebat
surgit, et ausa loqui dictis ita Pallas apertis.
"Quale tibi verbum, divum Pater, excidit ore ?
Queis animas puro largiris ab aethere, nondum
fas habeant homines illam exercere deum vim,

munere quippe tuo concessam, unde omne repente
ingenium in terras claris defluxit ab astris ?
Hujus causa Pater, veniam da, Summe, fuisti
incoepti, ut melius meministi cuncta ; nec ipse
Iapetionides omnis fuit artis et auctor,
et tanti tibi causa mali ; mortalia namque
pectora nulla modo pateris torpere paterno.
Ingenio ne acri Vulcanus ut arte, manuque
insignis, mecum caelo tibi missus ab alto ?
Nos ideo ignaros homines ut condere tecta,
atque domos silvis doceamus habere relictis ?
Pro ne etiam magno mortales nulla labore
praemia ? Nullus honos ? Meritos nec fama sequetur ?
Nam simul atque dolis Epimethi munus iniquis
Mercurii variis decepto mittere verbis
jussisti Genitor (neque enim secus ille petisset
munera fraterno monitu firmatus), ut omnis
plena mali tellus, plenus sit pontus, et aer
ipse vides ; nam praetereo mutata repente
saecula, quae retro in pejus sint versa fluenti
tempore : quae quoniam miseris mortalibus esse
talia cuncta jubes, spatio quod restat iniquo
fas homines habeant aliquid tentare superbum,
inventumque citae quod tangat acumina mentis."
Sic ait, atque uno Superi sermone favebant,
assensuque pares pennata voce ferebant.
Hic Pater omnipotens alio Saturnius ore ;
"Injicite haec animis quae sint non irrita vestris.
Nunc ego terrivagos homines ; quando una voluntas
vestra jubet magno miseros impune profundo
vela dare, ignotis et credere corpora ventis ;
solvo equidem nostro, jam nunc audete, timore.
At mea si diris incusent numina dictis
praeterea, et causas dicant nos esse malorum
illorum, quae multa pati dementia coget
se sua, suppliciis poenas mihi reddere justis
morte obita Manes tali sub foedere jusso.
Aeacus Aeginae partu mihi redditus, aequi
filius ille tenax, nostrum genus, arbiter Orci,
et Rhadamanthus erit justo cum fratre malorum
ultor, et in tenues graviter qui saeviat Umbras."
Talibus humanis Superi de rebus agebant.
At ferus indomito languentia corda furore
tunditur, et varias Alphonsus inardet in iras,
tristia perpetuis absumens pectora curis.
"Infelix ! magni qui non victoris honores
nosse prius, nec iter potuit tunc ille profecti
Sismundi ad patrias Taraconis, ut hospitis, oras :
sic Parcae voluere, Deumque aeterna potestas,
et dea Gorgoneos quae sustinet Aegide vultus."
Quae pia Sismundum mediis ut vidit ab undis
litora ad optatae Taraconis vertere puppim
caeruleam , et placidis pandentem lintea ventis,
exspectat pavidos deserto in litore nautas
nulli visa prius, primas quam tangere terras
incipit, incultaque procul tellure vagari

quaerenti similis varias in litore conchas
pauperis ipsa viri, tergo projecta fluentes
hinc, atque hinc vestes. Quam postquam maximus heros
vidit ab aurifuga lustrantem litora prora,
imperat ad terras parvam deflectere puppim,
et procul : "Hospes, ait, di quae tibi cara requiris
omnia grata ferant cumulatis munera votis.
Est casa, qui fessis possim requiescere membris,
ulla tibi ? Quando huc pelagi jactatus amaris,
fluctibus, in solas venio miserandus arenas."
Sic ait, et puppi juvenis descendit ab alta.
Talibus huic contra sic est effata Minerva :
"Aude animo ; neque enim solus magnosque labores,
et pelagi longis odium perpessus in undis
venisti magnam pulchrae Taraconis ad urbem ;
nec solum te unum miseratus mente recepi
cladibus a variis : neque enim de gentis Iberae
est populo quisquam, qui me magis orbe vagantes
juverit, atque opibus parvis ; nam pauperis agri
sum dominus, semper cunctos miseratus egenos.
Ab Jove gens hominum cuncta est, et pauper, et hospes,
qui mihi sunt curae non jam minus atque potentes
terrarum , et reges : quare haec mea tecta subito,
parva quidem, sed fida tibi ; procul, adspice, longa
est via, quae nostram ducit Taraconis ad urbem.
Huic contra placido fatur Pandulphius ore.
Hospes amate Jovi, atque animo spes maxima nostro ;
nunc tibi vera feram, quando mortalia egeni
hospitis acta movent animum, facilisque. Videris,
nec tibi barbaries ulla est ; verum omnia forti
membra viro similis, nec hebes, sed vivida cui sit
vis animi, atque fides verbis non vana modestis.
Venimus a prisca magnae Carthaginis urbe ;
sed mihi nec comites fidi, nec navis eunti
ista fuit, quam tu deserto in litore cernis ;
quandoquidem Ausonias cupiebam attingere terras,
optatumque patrem, dulcesque ante omnia natos,
conjugis et carae lacrymas spectare tepentes ;
quos ego forte mala pelago jactatus acerbis
casibus ignaros infanda clade fefelli,
mercibus amissis, sociis, fidaque carina
Syrtibus in mediis Libyae ferventis ; at hi me
accepere sua , fuerint quicumque, carina.
Quare ego linquere eos statui, pedibusque superbae
tendere iter pulchram malim Taraconis ad urbem."
Sic ait ; et grates sociis, velut advena, reddit
edoctis primum quid agant ; tum diva dolo se
circumventa magis mortali laeta figurat
adsimilem, atque casae Sismundum ad tecta reducit.
Ille leves tuguri juncos intexta salictis
culmina quadrifidis concussit vertice summo.
Tum dea, tum placidis hortatur amica loquelis :
"Munera sume libens magni non magna laboris,
munera parva quidem, sed non ingrata ferenti ;
nam tibi plura darem, si di mihi plura dedissent.
Haec mihi parta ceres toto non amplior anno,

haec quoque cornigeri sunt mitia dona Lyaei."
Haec ubi fata, dapes quos cepit Iberus Iolas
piscibus adpositis mensa jubet esse saligna.
Vescitur Ausonidum fortissimus, atque dearum
maxima. Longus amor postquam tenuatus edendi est,
nondum Sismundi cupidis saturata medullis
pectora perquirunt aditus, et scire locorum
difficiles, facilesque vias, et barbara regna,
factaque per multam scitatur plurima noctem ;
Alphonsi quis regna probet, quibus urbibus ille
carior ; an metuant Sismundi bella potentis.
Illa autem cupido declarat mente fideli
omnia ; tum magni Pandulphi marte superbos
Hesperiae populos duris cecidisse sub armis ;
illum autem forti cum milite protinus Alpes
adfore trans gelidas, cum primum cana soluto
bruma gelu totas fluviorum oppleverit undas :
tum vario trepidare metu Taraconis et urbem,
Celtarumque domos, Hispanaque tecta labare ;
tangere nonnullos aras, aliosque supinis
vota Jovi manibus tacitis effundere verbis.
Talia per noctem Pandulpho Diva jubenti
pandere cuncta dabat, fatis quae gesta secundis.
Postera ut orta dies, roseo cum Lucifer ore
purpureum caelo jubar extulit, ibat uterque
ocius egregiam pulchrae Taraconis ad urbem.
Bentius ipse comes Sismundo fidus in omne
egregium facinus, socios, fidamque carinam
subduxit, facto viridi de marmore portu.
Quos Pandulphiades ut vidit, ut hospes, ut omnes
ignotos veluti Latia de gente rogabat
nunc super Alphonsi imperiis, et marte suo, dux
de duce Sismundo : nihil illi scire fatentes,
se tamen esse Italos memorant ; Maurusia verum
litora, et antiquas priscae Carthaginis arces
lustrasse, atque datas diversis gentibus urbes.
Ergo ubi certa fides animos, et barbara firmat
pectora , nocte vias, et moenia solus avaris
explorans oculis, taciturnus ad alta reducit
aequora ventifugam deserto a litore puppim,
Cimmeriasque petens ignaro remige silvas
provolat in pelagus, totasque relinquit arenas.
Quem simul ac mediis vidit versarier undis
Aethiopum extremis veniens Neptunus ab oris,
talia concusso projecit vertice dicta.
"Hei mihi ! quale Jovis summo pro limine cuncti
me sine Caelicolae pelago posuere quieto
imperium ? Id sat erat non jam quod Olympia tecta
non ego possideam, communia jura ; sed alti
caerula vasta maris, quae sorte tenemus iniqui ?
Atque utinam teneamus adhuc ! Si Jupiter altum
mittit ad Oceanum nostras humana per undas
corpora, et invisum nobis caput illius ecce,
qui modo Phorciaden Picenis expulit oris ;
cujus ego et Genitorem animis miseratus amicis
esse deum pelagi, et liquidis regnare sub undis

cum magno Genitore dedi. Nam Phorcius ipse
progenies Phorci, pluvia dum se Auphidus unda
circuit, ignotum Hadriacis involvit arenis
semianimis sese, donec spumosa tridenti
aequora pulsa meo Illyricas misere sub undas.
Hic illi alta domus ; sed eum nec numina nostra,
nec data regna juvant, quando sua bella fugatos
se queritur didicisse satos ; sed tristia, faxo,
pectora ponat ; agens hiemen, magnasque procellas
in caput invisum Sismundi, inimicaque nostro
corda timenda deo, mediis quem fecimus undis.
Quare agite, o mecum venti Zephyrique, Notique,
et Boreae, atque Euri concurrite viribus omnes
omnibus adversi, fractaque urgete cadentem
puppe Virum, et pelago nantem spectate tumenti."
Dixit, et undivomos spumantia frena jugales
permisit quatere, et laxis discurrere habenis.
Illi autem prono populata per aequora cursu
spumigeros alto verrebant pectore fluctus,
vastaque nubifera signabant caerula cauda,
clamantemque Deum diversa per alta trahentes
ibant, atque viros inimica fronte petebant.
At venti rapido concurrant undique motu :
extemplo totum fervet mare, et ocius omnis
magna tumet ponti facies, tum cana repulso
marmore spuma salit, cunctae se in saxa sequuntur
innumeris undae cumulis ; ipse imbribus atris
tunditur, in nubemque volans se condit Orion.
Ergo ubi caeruleis caelum jam stare procellis
vidit, et innumero surgentem vertice pontum,
talia Sismundus dictis jactabat acerbis :
"Hei mihi ! quid subito turbantur caerula motu
aequora ? Quam densae caelum texere tenebrae ?
Nulla videtur enim terrarum ; pontus ubique,
undique devexi clausum mare margine caeli.
O ego si quondam campis jam victor Etruscis
oppetere, et caram potuissem reddere vitam
hostibus, Alphonsoque duci, cum laetus ab omni
Ausonidum adspectu divulsus in alta ruebam
castra inimica furens, duris cum funera Celtis
mittebam, et saeva miscebam proelia dextra !"
Talia cum dixet, cumulis per inane volutis
extulerat gravis unda ratem : videt ille frementis
dorsa sonora maris, cumuloque relapsus ab alto,
Tartareos ratus esse deos, cava saxa profundi
horret adire freti, ter ubi et quater altius, atque
inferius vaga puppis aquis agitatur iniquis,
evolvit montes salsarum victor aquarum
Eurus, et imbriferum crebris ferit ictibus Austrum.
Ter tonat ante oculos, pelagoque remugit opaco
Jupiter, et fractos jaculatur ab ignibus imbres,
exsultantque undae, et gemitum freta rauca remittunt.
Tum vero Neptunus equos clamore fatigat
terribili, sceptrumque manu, magnumque tridentem
adtollens toto volat aequore, caerula pulsu
lata domans rapido, nimbosque, et inania densat

nubila, turbatumque secat deus horridus aequor.
Occultans terramque simul, pontumque profundum
nubibus. Ut caelo jacuit nox atra fugato,
hinc Eurusque, Notusque fremunt, hinc mitior instat
occiduis advectus equis Zephyrusque, tonansque
aethereus Boreas rapido contrarius Austro.
Jamque novem noctes spumosa per aequora nautae
puppe ferebantur tali discrimine : verso
terga tamen Zephyro flabris urgentibus Euri
aligeri occiduas pelagus sternentis in undas ;
"Ponite, rector ait, revolutis pinea velis
cornua, et antennas miserae demittite puppi."
Talia perdiderat ; neque enim fragor aequoris ingens
verba volare sinit socias geminatus ad aures.
Tum magno clamore viri, stridore, rudentes,
ventorumque undae vi magna, aetherque procellis,
et strepitu magni crudescunt omnia caeli ;
tum densae salsa incumbunt aspergine nubes
caeruleas, vastoque sedent cava nubila ponto ;
fulgura crebra micant elisis nubibus igne
excusso, et subitis horrescunt aequora flammis.
Tum Zephyrusque, Notusque simul, malumque, ratisque
candida vela petunt humeris, et turbine fracti
arbore, rapta ferunt sinuantia lintea ponto.
At ratis abrupto declinat in aequora malo,
demersaque tenus prora latera utraque tinxit
unda refusa gravi stridore volubile surgens ;
inde aliusque, aliusque ferit latus ater utrumque
fluctus ; utrimque fremit decimae gravis impetus undae,
implenturque fori, et multam ratis haurit arenam.
Pars latices salsos vomit ore, oculosque dolorum
vi premit, et certam tentat non cernere mortem ;
pars manibus proprias mare triste refundit in undas,
pars tabulas sperant tumido prensare profundo.
Pandulpho eximiam tradunt, grandemque, levemque,
quaeque nataturo mediis foret aptior undis.
Tum vero ut prono curvati gurgitis alnus
vertice lapsa redit, pelagi spatia ultima plani
dum cupiunt superare, sequens tegit unda morantes,
involvitque viros una cum classe procella.
Pars natat in summo diversa per aequora fluctu,
atque alii nigris gelidi miscentur arenis,
auxilioque vocant Superos ; pars triste requirit
subsidium tabulas, donec periere ; nisi unus
caeruleis sublimis aquis Pandulphius heros,
cura Jovis magni, tabuli miserandus in uni
usque natans, summoque a gurgite saepe recurvans
lumina, respiciens si quid telluris ubique
cerneret ; ac postquam cumulo sublimis ab alto
terque quaterque caput cana tenus extulit unda,
visa procul tumido facies immobilis alto
terrarum, et late nemorosis insula silvis.
Tunc ait : "Aequorei, quaeso, miserescite divi,
reddite me terris, optata exponite arena
denfensorem Italae per magna pericula Gentis,
magna quidem, verum non his aequanda periclis."

Talia dicentis fluctus ferit ora, levatque
cum viridi furibundus aqua ; tamen arctius ambas
implicat ad tabulam palmas, vastumque per aequor
Neptunum precibus tentat placare profusis.
"Concussor telluris, ait, Neptune, potestas
una superba maris, Sismundo parce natanti.
Non veni ut pelago tecum certare pararem
Pandulphaea mei genitoris jussa secutus.
Pro me nulla movent me damna : salutis amore
Ausonidum ingenti liceat superesse ; nec optem
vivere, ni pereant Itali : jactura meorum,
sed non ulla mei me terret. Adire profundi
regna maligna dei sors est communis, et uni
morte cavis obitas Erebi miscerier Umbras
sedibus : id vero citius, vel serius omnes
exitium rapit ad Manes : mihi fama, meusque
partus honos, Latias modo qui detorsimus urbes
faucibus Alphonsi, nomenque, decusque geremus
exstincti, et carae spoliati lumine vitae.
Pro Patria moriamur enim, pro gente Latina,
si Superis damnare pios sententia fixa est.
Nam quid ego ignaras nequicquam deprecor auras ?
Quaeve tibi, Neptune Pater, stat gloria victo
tanta viro, ut nostri turbaveris omnia morte
aequora ? Merge manu, si te juvat ista potestas,
invisum caput hoc dudum tibi : viximus annos
optatos ; meliora meae sunt acta juventae
tempora : vixi equidem decus, auxiliumque cadentis
Italiae, quae tuta meis et libera factis
gaudet honore mei sublata, dolore supremo
adficienda, nefas ! Leti jam conscia nostri."
Vix ea : cum proprior terrae quater actus ab alto
fit cumulo, et silvas jam tum suspexit amoenas
fortunatorum laeta regione locorum.
Tum vero rediere animi, tum pectore toto
laetior extremas gestit superare procellas
victor, et optatis tandem se reddere terris.
At rapidi toto concurrunt aequore venti,
et tabula instabilis nunc huc, nunc pellitur illuc
in numerum : illi autem diverso turbine cuncti
gurgite caeruleo certant, fluctumque sonantem
in tabulam, atque virum jactant : spuit ille sonantis
caerula salsa maris, singultuque ilia crebro
pulsa tremit ; nunc Eurus adest, nunc fervidus instat
Hesperides Zephyrus ; reboant Aquilonibus undae.
Hinc nigris furit Auster equis, totumque liquescit
in pelagus caelum, fluctuque obtexitur omne
aequor, ubique fremit revolutis marmor arenis,
nigraque terga gravi latus detunditur aestu
pontus. At hunc Cadmi proles a fluctibus Ino
Leucothea adspexit pelagi nunc diva, sed olim
mortalis mulier, quae tum miserata natantem
prona virum, glaucis tabulam Dea sustulit ulnis,
tum Pandulphiaden dictis mollibat amicis.
"Infelix ! quidnam tantum Neptunus in unum
te, Sismunde, furit ? Tanta Deus aestuat ira ?

Terribile innumeris ut te jactare periclis
non pudeat ? Quae tanta odii stat causa nefandi ?
Quodve malo caput ? En age jam tibi terra relicto
grata propinqua freto : lacera de pectore laenam.
Sic effata, manu madidos rescindit amictus
Pandulphi magni, mediis quos liquit in undis.
Ille quidem levior tabula natat altior alta.
Verum ubi jam scopulos videt apparere malignos,
asperaque adversis occurrere caerula saxis,
horruit , et gelida miserabile fatur ab unda.
"Hei mihi ne quis, ait, fraudemque dolosque deorum
texat adhuc timeo, qui me deponere vestem
forsitan in scopulis nudum, pontoque relinquet.
Sed non ante meis dimittam robora palmis,
quam capta optatae calcarim litora terrae."
Talia magnanimus mediis Pandulphus in undis
fatur, et incertum nunc huc, nunc volvitur illuc.
Quem postquam pelago magnus periisse profundo
crediderat Neptunus, abit citus, atque jugales
flectit ad undosas scopulis curvantibus Aegas.
At bona Pallas adest, nebulasque removit, et omnem
aetheris adspectum larga regione serenat.
Tum tremuli moto glomerantur gurgite fluctus,
et viridi dorso radiis per inane refusis
nubila rara sinunt croceis Thaumantida nimbis
reddere conceptos pennis humentibus imbres.
Non tamen idcirco venti posuere tumultu
horrifico, ac caelo tumuerunt rursus aperto
caerulei freta clara maris, terrisque propinquis
incubuere magis : labor est in fine supremo.
Tum Juveni resoluta cadunt genua aegra timore
ingenti, tum corda labant, tum lingua precantis
deficit arenti mediis in fluctibus aestu ;
omnia namque timet, medio ne se aequore turbo
mergeret, aut pelagi diversa bellua forma
dentibus, atque avidam morsu conferret in alvum
delphini, aut magno versantia corpore Cete ;
qualia monstrifero nascuntur multa profundo.
Talia volventem fluctu gravis aestus amaro
pertulit ad cautes, invisaque saxa, nec ante
agnita, quam tabula descendit in aequora fracta ;
nam Boreas magnis incumbens viribus undas
torsit, et ingenti protexit litora ponto.
Atque ibi summa dies olli sine laude fuisset,
ni manibus Juvenem tenuisset Pallas amicis
protinus, et scopulo statuisset Diva vetusto,
quem tenet, insurgens donec vaga transeat unda
fluctibus alternis, et anhelas verberet auras.
Tum quoque spumifero revolutus turbine fluctus
dum tonat adventans, rapidis se se unguibus alto
implicuit nitens scopulo, fluctusque labantem
sustulit, et gelidas longe projecit in undas
clamantem, atque pio Superos clamore vocantem.
Tum Dea labentem cumulis per inane volutis
ostia ad ignoti perduxit fluminis undas
piscosas : ejectus adit sola grata relictis

593 fluctibus, et sola solum se cernit arena.
594 "Evasisse quidem juvat, o Neptune, tuam vim
595 me, fateor, triplici qui concutis omnia telo
596 aequora ; non autem vitasse pericula vastae
597 crediderim telluris, ait, quae ignota leones
598 forsitan, atque feras alias, quae sanguine aluntur,
599 haec habet : haec tellus forsan pejora minatur.
600 Hei mihi quid patior ! quantos tolerare labores
601 cogor inops animi, curisque adfectus amaris ?
602 Hei mihi ! non Italum populos, non regna videbo
603 dulcia, nec natos dulces ; non arma movebo
604 Alphonsum contra ! Cui me Fortuna malorum
605 servavit cumulo ? Queis me Deus ejicit oris ?"
606 Talia versanti sedit sententia curvo
607 litore prospectis oculos inflectere silvis,
608 metirique acie si quid taurisque virisque
609 cultum habeat prae se : tum vasta silentia mentem
610 attonitam reddunt : sed ubi frondentis olivae
611 obnupsit ramo juvenilia membra reperto,
612 procubuit, duroque in litore fusus apricis
613 pectora fessa locis, divini nectaris Hebe
614 in venas jussit latices errare sepultas,
615 ambrosiaeque novo perfudit pectus odore.

## LIBER OCTAVVS

H_8 v.1 Postquam somnus abit, pura fecundior aura
2 membra levat pressa juvenis tellure, parumque
3 procedens, miratur enim, videt ecce vagantem
4 litore pro summo niveis Zephyreida plantis.
5 Quam simul ac solam videt ore pudore reflexo,
6 quamquam tegmen habet ramum frondentis olivae,
7 ter stetit in dubio quid agat, maneatne, petatne,
8 an roget unde domo, quae sit genitrixque, paterque,
9 an sit adhuc virgo, cupidique ignara mariti,
10 anne sui miserescat, an hospitioque, domoque
11 accipere orantem jubeat ; quae cuncta volutans
12 talibus alloquitur placido Zephyreida vultu.
13 "Nympha decus nemorum, pelagi quae litora servas,
14 nympha animo certe jam nunc gratissima nostro,
15 seu dea, sis an homo, nostrae spes maxima vitae ;
16 visa quidem nobis certe dea : talis ubique
17 nec mortalis adhuc mulier mihi visa, nec usquam
18 mortales talem viderunt omnibus omnes
19 ullam annis. Virgo, nostri miserere, precantur,
20 et quaecumque fuas, tantos mihi deme labores :
21 praemia certa manent : magnas tua fama per urbes,
22 Ausonidumque domos cunctis vulgabitur horis.
23 Tu, dea, deme metus animo, precor, optima nostro,
24 ejectumque tuis paulum sine vivere silvis,
25 hospitioque domus, tectorum et parte recepta."

Sic ait ; illa virum dictis ita firmat amicis :
"Venisti, mea lux, mea spes, mea sola voluptas,
exspectate animo juvenum pulcherrime nostro,
magnanime, heroum fortissime ; namque deum te
esse genus fateor ; quis enim dubitarit ? Ut omnes
virtute eximia superas, quae naufraga vidi
corpora, et incolumes si qui venere profundi
caerula ad Oceani. Non sum mortalis ego ipsa ;
vera fatebor enim, Zephyri Psycheia nymphe,
quamque peti genitor mediis tibi jussit in umbris,
Isotheam Superi dixerunt nomine divam.
Illa ego sum ; neque enim Jove non cogente tot undas
tot maria, et vastos superasti pectore fluctus,
fortibus amissis sociis, fidaque carina.
Quare age, jamque domum magni genitoris eamus
actutum, placido qui laeta per arva volatu
spirat, et inriguos humectat roribus agros.
Sic exorsa virum bibulis seducit arenis."
Ut primum optati ventum est Genitoris ad aulam,
marmoreasque domos, mirisque adamante figuris
ex solido structas, juvenem stupor occupat ingens.
Parte alia aeterno radiabant alta pyropo
atria ; tum viridi vestitur aperta smaragdo
janua, templa simul, Zephyrique immobile tectum.
In foribus flores varii, violaeque, rosaeque,
multaque diversis florentia gramina formis.
Ipse pater veris Zephyrus sedet axe tepenti
uno vectus equo, madidis qui naribus ignem
evomit, et terras fecundo semine donat ;
ore cadunt imbres, toto simul aequore pisces
humida connubia, atque udos celebrant hymenaeos.
Parturit omne solum, nemorosaque silva resultat
cantibus argutis avium, nidique loquaces
accipiunt dulcem caris a matribus escam.
Haec manet aeternum series numerosa nepotum.
Neve neges fieri, fuerint quae facta ; videntur
omnia mutatis nasci nova corpora formis,
rursus et ignotae remeare ad limina vitae :
omnibus his animi spirat Psycheia vires.
Quatuor informant mortalia corpora Nymphae,
Dotoque, Protoque, Pherusaque, Dynameneque :
hae fluvio spargunt corpus juvenile recenti
Sismundi, et salsa relinunt adspergine pectus.
Tunc artus, et membra lavant, dulcique liquore
omnia perfundant, humeros, solidosque lacertos,
atque manus niveas. Fluvio post ille relicto
constitit in medio comitum, Psychea, tuarum,
cui Charites dulci crinem lavere liquore
candida purpureo velantes corpora peplo.
Ipsa autem vero similis coma passa hyacyntho
fulsit, et ora novi subito legere decores,
puniceusque genas nitor improvisus eburnas
occupat illius subito ; tum lumina laeto
clara micant vultu, qualis nitet aureus alto
Lucifer Oceano perfusus. Adire jubebat
auricomas juvenem silvas Regina, sed ipsum

ut vidit talem, se se inflammavit amore,
candidaque implicuit sublato brachia collo.
Ille Deae taedis tantoque potitus amore
laetus adit densos felici ex arbore lucos.
"Vis hominum casus, et limina cernere vitae
humanae ? Terrena libens vis nosse caduca ?
Ut folia arboribus labuntur origine frondis
alterius, sic prima cadunt mortalia leto
corpora. Ceu tenerae pereunt sub frigore frondes,
infantum primis multorum vita sub annis
evolat ad Stygias Erebi implacabilis umbras
fatur, et auricomas monstrat Psycheia silvas,
nec minus ostentat plenis pomaria ramis,
vere sub aeterno Genitor frondescere cuncta
quae jubet irriguis Zephyrus lenissimus hortis.
Hic annosa virent arbusta fragrantibus auris
sole sub aethereo, lucis quae mitis amoenis
producit Zephyri jucunda spiritus aura.
Hic cerasis, ficisque genus, seroque futuris
crescendo magnis oleis stat fertile, et almis
vitibus ; inde nitent oneroso vertice mali
diversae, pruni, nec non felicia mala
aurea, quae memorant vigili servata draconi,
Hesperidumque choro sublimi Atlante satarum,
quorum fructus obit numquam, neque desinit umquam,
non hieme, aut aestu venientis ab aethere Phoebi.
Temperies hic tanta jacet : pars flamine nasci
incipiunt Zephyri ; partem sua praecoquit aestas,
non violenta quidem, sed enim quae vere supremo
esse solet nobis : ergo omnia serpere laeto
ubere, nec pereunt fructus, verum arbore in alta
longaevis stans silva comis genus omne remittit
multa super genera, et dulci de vertice fetus.
In fetus alios alii nascuntur, et uvam
uva super serpit, malis incumbere mala.
Adspicias ; hic pumiceo se margine fontes
effundunt gemini, clara queis lucida lympha
unda ferit lapsu florentia prata recenti.
Talia erant Zephyro divum immortalia dona,
quae Pandulphiades heros miratus ut hausit
luminibus tacitis, laetas ad carminis aures
auditi arrexit cantus, aurasque sonantes.
"Dic, age, vera mihi, curaque exsolve molesta,
hic, ait, o Nymphe, quid vult sibi cantus ad auras
aethereas hominum vario sermone loquentum ?
Quive viri tanto complent nemora inclyta cantu
quos video ? Manesne choro laetantur inani ?"
"Nec Manes hi sunt, tibi quos monstramus, at omnes
vescuntur teneri. Zephyris spirantibus auri ;
nec Mors ulla locum tenet his in sedibus ; omnis
insula morte quidem caret haec ; verum obsita longo
membra situ tristi se inclinavere senectae,
atque odio stat vita viris postquam illa recedunt
puppe levi in tumidum, nullis ducentibus, aequor ;
dum rapidis versantur aquis, caelumque relinquunt
adsuetum, Mors victa prius, queis terga parabat

nuda fugax, longae spoliat tum lumine vitae.
Hi sunt quos Graii populos dixere beatos :
saecula multa virum vestrorum singula vincunt
corpora, quae cernis." Cui sic Pandulphius heros.
"Dic, age, quos Graii memorant heroas ademptis
corporibus superesse ; refer qua parte sacrorum
felices habitant nemorum ?" Cui candida Virgo :
"Crastina purpureo conjux Tithonia curru
vecta recens tremulas lustrarit ubi aurea silvas,
ipsa ego ad Elysios ducam te, maxime, campos,
Ausonidum dux clare tuis, Sismunde, trophaeis.
Namque videbis avos antiquae nomina gentis,
et Malatestarum genus acri ab stirpe profectum ;
Romanosque duces illic, Graiumque catervas
ostendam. Interea, juvenum fortissime, quando
venisti ad silvas tales, lucosque virentes,
omnia jucundae peragremus litora terrae."
Sic effata pedis nivei vestigia torsit
candida praeripiens spatium, quos maximus aevo
vidit ut Hesperides , illo genitore creatus,
vespere qui Solem sequitur, qui mane rubentem
Auroram roseis lustrantem cuncta quadrigis,
talibus aggreditur dictis procul : "Unde venitis ?
Quem petitis nostrum ? Quis tu ? Quo patre creatus ? "
Cui Pandulphiades dictis haec reddit amicis :
"Venimus antiquo e Latio, patremque rogamus
ostendatis. Is, est ubicumque vocarier usquam.
Advertisti animum Pandulphi nomine si quem
sum genus Ausonides Malatestae a nomine gentis ;
sanguinis hujus enim laetor me ab stirpe creatum,
nomen Sismundus cunctis notissimus oris,
insignis bello, patriae defensor avitae,
Italiam ex avidis Alphonsi faucibus unus
qui rapui, et victos Tyrrheno in litore Celtas
his oculis vidi." Dixit. Cui maximus aevo
retulit Hesperides : "Italum fortissime, salve,
salve Italum ductor, Pandulphi maxima proles ;
hic quoque magna viget bellorum fama tuorum.
Pannonio cui nomen erat Malatesta, recordor,
venit ad has sedes, infernaque regna petivit,
victus amore quidem dilectae, triste ! puellae ;
ora ego flava novae vestibar flore juventae ;
ex illo dulces centum jam viximus annos.
Illum ego magnanimi juvenis perculsus amore
hospitio excepi fido, dapibusque creatis
sponte sui explevi, tutumque in lata remisi
aequora, uti patrias laetus remearet ad oras.
Ille mihi scutum, quod adhuc in limine cernis
adfixum, multo caelatum liquerat auro,
cumque trium capitum, quod crinibus orbe refusis
fulget imaginibus, factorum insigne superbum.
Quare age, et hospitii veterem instauremus honorem
juraque magnanimum celebres, Sismunde, parentum."
Talibus auditis gaudet Pandulphius heros,
agnoscitque genus patrium ; tum laeta per arra
egregio incessa graditur, facilesque choreas

ludentum inter se juvenum videt ; inde parumper
ipse moratus, adit silvas aliasque, locosque
ingenti luxu claros, quos ipsa voluptas,
deliciaeque colunt variae, risusque, jocique.
Hic Venus horrenti myrtorum clauditur umbra,
quam non flava Ceres linquit, non ipse Lyaeus.
Huc Genii venere, novum strepit Insula cantu
Musarum alterno, quarum quae commoda ludo
Euterpe innumeras magnum per inane figuras
tellurisque, animaeque viis, pontique, levisque
ignis inaccisis conflari semina formis.
Haec ubi visa, petunt famae mirabile templum,
templum augustum immane horrens, cui limen eburnis
canebat gradibus laeva de parte ; nitebant
parte alia cornu solido loca. Falsa elephanti
fama refert vanis insomnia turbida portis,
somnia vera ferunt non vanae cornua famae.
Cornea dejectos Tyrrheno in litore Iberos
porta docet templi. Gradibus Sismundus eburnis
tendit ad Oceanum, et fracta natat alta carina.
Hac iter Aegides, nec non Tyrinthius heros
Taenarias legere vias : hac durus Ulysses
Cimmerium obscuras victor concessit ad Arces ;
hac pius Aeneas Stygio se immisit Averno.
Hoc sibi Fama tenet templum dea magna virum vox ;
in foribus totum qui fluctu amplectitur Orbem
surgebat Nereus, tum monstra natantia vasto
gurgite, magna novo versantia corpore Cete.
Jamque videbantur montes, campique jacentes,
aequoraque, et placidis labentia flumina lymphis,
unde cadit Rhodanus, flavi cadit unde Caystri
Asia prata rigans diversis amnis ab oris.
Hic Argiva duces antiquae robora pubis
aeterno fulgent auro, queis ductor Iason.
Haec prinus foribus magni, mirabile ! Templi
interiora petens in primo limine liquit
dux Pandulphiades ; portasque ingressus ahenas
principio rerum, tenerique ab origine Mundi
ducta patris summi series, ordoque potenti
numine per varias rerum discrimina formas.
Haec supra dulci circumsonat aethera cantu
Musa parens Orphei, manibus quae serta gerebat
laurea ; tum toto volitabant carmina luco,
Parnassusque biceps silvis vernabat amoenis.
Hic vero Dea magna sonat, sacrosque dearum
fama sacerdotes dictis, ita firmat amicis.
Indignum nihil est ; summo si vertice gressus
obfirmare labor, vates ; quin cernitis imas
umbrosis valles lustris serpentibus atris
horrere, atque cavis disperdere murmura silvis.
Hi sunt indocti, quos uritis, inquit, honore
majori, et longis sinitis languere latebris ;
qui, dum vita super vobis erit, atra venena
inspirare piis tentabunt vatibus ; at vos
obturate aures constanti pectore, et omnes
insidias superate. Venit post funera majus

nomen, et invidia infelix exhausta supremo
fine cadit. Vos praeterea timeatis inermes ;
nam non adscendunt serpentes ardua montis
haec juga, nec viles animae nive vivere in alta,
nec stridere queunt. Postquam vos miserit huc fons
ingenii, morietur atrox lingua omnis ab ipso
funere ; post obitus vivetis vertice in alto.
Talibus in templo visis Pandulphius heros
egreditur, nymphamque gradu, verboque secutus,
inclyta prospiciens nemorum loca : "Quis locus autem
ille ? Refer, Virgo". Tum sic Psycheia fatur.
"Hic sibi Fama virum posuit longissima sedem
non procul a templo magnam, rerumque priorum
nomen inane quidem saeclorum exempla novorum.
Hic frondes sine fine cadunt, hic sacra videtur
temporis effigies, quod quinque volumina jam nunc
ipsius acta sui cernit meliora, doletque
in pejora cadens ; hujus fuit aurea quondam
prima viris aetas mortalibus ; illa rapinis
cassa, dolos, artesque nihil curavit, adulter
nullus, et insidiae nondum erupere, nec urbes
obsedere alii cives, nec Nerea quisquam
ignotum undiruis pulsaverat advena palmis :
ora pedesque viri similes, humerosque, manusque,
semper et in primae vivebant flore juventae.
Nec genus hoc Superi fatum ad crudele vocabant
ante diem ; verum cum multa revolverat aetas
saecula, tum domiti placido pia lumina somno
linquebant dulces auras, animaeque volabant
ad fortunatos felici ex arbore lucos
Oceanum juxta magnum, silvasque beatas.
Inde leves totum Genii sparguntur in Orbem
custodes hominum, pellentes damna, malumque.
Hoc genus heu ! tellus gremio occultavit opaco.
Protinus argenti proles successit ; at olli
aenea, post illam gens aenea, at ultima ferro
ex solido adcrevit, quae nunc quoque durat : in illa
fortunata Deum proles heroes agebant
saecula prima, fuit quibus exitus omnibus idem
fatorum ad Thebas, vel magnae moenia Trojae."
Talia commemorans Sismundum in tecta reducit,
ostenditque viam vincendi, ipsisque litandi
dis Erebi infernis, Diti, nigraeque Sorori,
Persephoneque simul, patrui quae limina servat,
Manibus et maestis agnas cum vellere nigro,
nigrantemque bovem setas, horrendaque terga.
Interea Sol oceano se fessus Ibero
condidit, aequoreo perfundens gurgite vultum.
Tum Pandulphiades, nec non pulcherrima Virgo
victa soporifero posuerunt lumina somno.
Postquam prona dies umbrarat caeca viarum
compita longarum, e summis Pandulphius astris
ad fratrem in somnis venit Galaotus, et ultro
talibus ignarum compellat vocibus. "O spes
Italiae, germane, tuae, nunc pectore tandem
est opus, atque animis ingentibus, atque parentem

communem vivis affari vocibus ipsum.
Nec te nunc pigeat jam Tartara cernere, et amnes
Infernos, Phlegetontis aquas ardentis, et altum
Cocyton, Stygiamque procul transire paludem.
Haud aliam ob causam Stygias Deus egit ad umbras
te, nisi ut inde petas optatum victor Olympum ;
nam diversa via est, magni quae ad moenia Caeli
ducit : ad hanc multi metam venere, nec uno
calle tamen cuncti. Nos, en quos cernis, amando,
mirandoque Patrem Summum, miserosque fovendo
munere mortales vario, pervenimus altum
ad Caelum laeti : nec me, germane, parenti
proxima prata tenent ; sed me qui circulus ambit
lacteus aethereum semper videt altus Olympum.
Hic mihi clara Dei facies spectatur, et illa,
quam colui in terris, pietas immensa ; tuentur
rectorem Caeli mecum diversa virum gens,
quicumque obsessas Patriae defenderit oras,
quique fidem, atque pia coluerunt Numina lingua,
quique inopes miserati homines, qui funera victis
amovere viris, nec sanguine vana suorum
busta piare patrum voluere, sed omnibus idem
aequus , amor veniam indulsit pietate secunda.
Nec nobis desunt vestris quoque praemia terris :
nonne sacerdotes aram statuere, videres
quam fratris, germane, tui, temploque dicarunt
nomen inane pio ? Moveor sed nullius unquam
turis honore dati ; major mea gloria sanctis
semper adesse choris, Superumque haurire Tonantem
lumine non dubio ; neque enim dubitare potestas
funera post, obitusve datur ; verum omnia puri
mente vident animae, quae se dum carceris umbris
continuere, parum potuere videre ; solutae
corporibus super astra volant, foedamque relinquunt
tellurem, et longe longas odere latebras.
Quare age, ne dubita magnorum victor Iberum
adventare, vocet cum te Deus, et tibi vitae
janua certa patet melioris, ubi arduus aether
terrenis vacuus nebulis, et mole gravanti
membrorum, et caecis linquendi corporis umbris.
Haec tamen, haec eadem, quae nunc regis ossa, rotatis
mens Divina polis, animis reddenda renasci
coget, et aetherei sedes explebit Olympi
magno hominum numero ; nec spiritus ullus eorum
se sine vivus erit : tantum Divina potestas
humanis laetata bonis ! Ite ocius atram
intrepidi ad mortem, proceres, quae noctis imago,
atque quiescendi facies pulsanda reducto
sole, nihil metuenda viris, quae temporis instar
exigui est, si laeta velint spectare futura
saecula." Sic fatus mediis sese intulit umbris.
Obstupuit visis Pandulphi maxima proles
motus honore pii fratris, laetusque parentum
magnorum ; atque ultro Nympham compellat amicis
vocibus."An vigilas Nymphe ? Fratrisne loquelas
accepisti animo ?" Cui sic Psycheia fatur :

"Cuncta a principio novi, nec fallere mentem
fas homini nostram. Pius est germanus, et ipsi
persimilis tibi ; quippe genus quos, esse virorum
magnorum, veterumque liquet ; neque enim infima patres
nomina degeneres tales genuisse putarim.
Ille Deum sedes habitat, fruiturque Deorum
concilio, et summis sese miratur in astris.
Tu vero Italiam defendis, et hoste repulso
pro patria cecidisse tua, si fata vocarint,
non dubitas ; quod nosse bonum potes optimus unum.
Post, ubi sidereos caeli conscenderis orbes,
Lunaremque globum, nec non Titania victor
sidera despectans, telluris, et aequoris oras
angustas, minimumque solum, tum nosse licebit
distent humanis quantum divina, nec ante
scire potes, quam tu magnum conscendis Olympum.
Ergo oculos huc verte tuos, hanc adspice sedem,
aeternamque domum, solidoque adamante virum vi
non cadit, aut longo volvendi temporis aevo.
Hic mortale nihil, nihil hic sua deterit aetas,
immutatve situs ; manet hic aeterna juventus,
omnibus unus amor magnum spectare Tonantem.
Contra autem foedo pallent ubi Tartara fundo,
omne malum, atque odiis non exsaturata supremis
crimina, dira Fames, Luctus, Gemitusque, Dolorque,
et Curae scelerum ultrices, Letumque, Laborque,
infandumque truces posuere cubile Rapinae.
Hic Caedes fuso stabulant in sanguine, et atra
vulnera, caecus Amor, juvenumque insana Cupido,
Invidia atra vorans ipsam se, atque inscia recti
Ambitio, atque auctrix scelerum Discordia, et audax
atque ignara modi Fiducia. Talia longe
sunt fugienda tibi ; gemitus, strepitusque malorum
est audire satis : nam jam cum cetera tandem
videris, adveniet qui nuntiet illa relictis
Tantalus ipse vadis ; hoc tum monstrante cavendum est
Tartara ne cupias invisere ; namque senili
aridus ipse gradu adventans, scelera alta, Deumque
fata timenda canens, fugere hinc Te voce docebit
infelix senior vera." Sic orsa monebat
diva Virum, et placitis firmabat pectora dictis.

## LIBER NONVS

H_9 Laverat Oceano bigas Aurora rubentes
interea, et summum flammis lustrabat Olympum ;
cum dea : "Tempus oves nigras, sterilemque profundae
Junoni mactare bovem, tum Manibus aras
exstruere, Infernumque sacris placare Tonantem."
Haec ubi, diva virum stratis simul excitat altis,
hortaturque sequi, movitque a limine gressum.

Ille simul flectens vestigia, pone secutus
in nemus umbrosum late, lucumque virentem
cornigeri sacrum Silvano in valle cupresso,
horrida religio cui prisca, vetusque parentum
stabit honos, duri sub vasta silentia rupe.
Antrum immane soli vasto pendebat hiatu,
non informe quidem, sed enim quod et arte magistri,
ingenioque adjuta suo Natura Deum vis
fecerat, et vivo discreverat omnia saxo.
Hic jubet in flammam lectas jugulare bidentes,
Persephoneque bovem electam, nigraeque sorori
Noctis ovem nigram ; latices tum spargere Avernis
fontibus allatos ; tacitisque piacula reddi
Manibus, atque antrum sacris intrare solutis.
Ordine quae postquam perfecit, in alta recepit
se spelaea viro conjuncta celerrima Nympha.
Di cunctorum animas sinitis quicumque malorum
in vestrum penetrare Chaos, Noctemque soporam,
quique vetatis eos superas emergere ad auras,
ne prohibete loqui, quae Fama volatilis ultro
retulit, et vivo liceat mihi adesse silentum
conciliis impune sacris, camposque referre
Elysios, variasque virum cognoscere sortes.
Res obscura quidem, sed non indigna referri,
quamque minus spectare velim : dicam inclyta laetis
arva habitata viris, nec non metuenda profundi
tertia Regna Jovis. Nunc nunc furor omnis adesto,
omnis amor laudum, Musarumque ore sonemus.
Jam mihi Phoebus adest, totoque in pectore Numen
addidit ; en vagor Aoniis interritus antris
ingentem referens summo de vertice cursum
Parnassi, jam jamque citis vehor actus habenis
fervidus, alipedum curruque elatus equorum
Castalios latices, totumque Helicona pererro,
nec sequor ambages, nec inania verba profundo.
Illum, ego quem vidi, Sismundum dicere adortus,
illum ipsum mihi, Musa, refer, quantusque sub umbras
vivus iit Stygias, tantum mihi, Diva, canenti
redde virum ; neque enim sine te, quae viderit ille,
posse referre rear. Silvarum obscura petebant
nympha pari gressu, nec non Pandulphius heros :
rara sub obscuro pallebat Luna sereno.
Hic inopes animi turbae, puerique, senesque
errabant luco in magno, passimque volabant
alitibus similes variis, aliosque vocabant.
"Quis globus ille senum, puerum quos tanta sequuntur
agmina ? Qui dubii lucis glomerantur in umbra ?"
Haec Pandulphiades ; contra cui Nympha profatur :
"Hi sunt ignari rerum, nimiumque quieti,
queis neque mors, neque vita placet ; sed utrumque parati
munus obire, rotant quo Fata, deumque voluntas,
securi sine mente diu, sine pectore cedunt :
quos Pater Omnipotens, quoniam nondum ille recessit
astrorum, caelique vigor, non Tartara ad atra,
nec campos sinit Elysios penetrare ; sed horum
concilia hic habitare diu, dum funditus omnis

vanescat labes animis, longeque recedat
in ventos, aurasque leves ; mox ipse lavari
fonte jubet viva, silvasque intrare beatas.
Pars tamen infantum remanet, quia flumine nullo
demersi amisere diem ; queis poena paratur
nulla tamen, sed nse pro nullis praemia factis."
Haec effata, pedem silvis amovit opacis
ocius ; ille pari torsit vestigia gressu,
exsuperatque simul tacitas juga turbida silvas.
Inde sonantis aqua veniunt torrentis ad amnem
praerapidum magna volventem saxa ruina.
Hic vero vocesque virum, totasque sub auras
verba volare ferunt diversis alta loquelis :
orabant causas multi, variumque fremebant
inter se. Obstupuit visis Pandulphius heros,
et prior : "O virgo, quae gens est illa tot urbes,
et populos agitans ! Videone, ut utrumque sequuntur
Romani, Graiique simul ? Quis maximus ille est,
ille decus nostrum, quem sic Romana coronant
agmina ? Quisve alius. Graiis adeo inclytus armis ?
O vir Arimineae fortissime conditor arcis,
o magnos mirate viros, quem vestra sequuntur
agmina lecta, Patrem Patriae, quem dicitis, hic est
maximus Arpinas fama notissimus astris.
Ille movens quondam populos, iterumque reflectens,
seu bello, seu pace bona Romana placeret
vertere consilia ; usque adeo decus omne Latini
nominis eloquio penetrat freta, sidera, terras.
Ille autem Graios qui ducit, hic ille priori
tempore natus avos hujus superavit, et omnes
arte sui externos ; sed postquam Roma supremo
est elata gradu ad superos, caelumque petivit
vertice turrigero, vicit Romanus, et artes
abstulit egregias mediis bellator Athenis.
Clarus uterque tamen, nec quos humana creasse
corpora crediderim. Tum sic Pandulphius ipse
fatur, et aeternum verbis testatur honorem.
"Felices animae, summo facundia caelo
quas tulit ! Haec sedes vestra est angusta tenere
nomina. Vos summo decuit conferre Tonanti
eloquium, Superumque choris ; neque enim altera Divi
ora sonis laxant. Quid io ! vos caeca profundi
regna Jovis prohibent superas emergere ad auras ?
Inde jugum capit oppositum, quod silva coronat
myrtea, frondifluaeque tenent cum floribus umbrae.
Quos nemore in medio dulci complexus odore
lucus alit teneris intervenientibus herbis.
Hic Helene Ledaea genus Jovis, inclyta forma
Pasiphae, Hermioneque sedent, silvasque frequentant
umbriferas ; meliore loco quascumque virorum
ad letum perduxit amor ; quas inter amantes
Laodamia tenet sylvae secreta beatae.
Hic Dido flammas ostentat, et inclytus ausis
Pyramus, hic Thisbe consors letique, locique,
atque animi quondam ; Lucretia candida fama
ante alias complexa virum. Stetit agmine in ipso

magnanimus Pandulphiades prolapsus in altos
conventus, turbasque leves ; tunc orsus anhelis
ilibus aethereas dictis ita verberat auras :
"Quae gens illa virum, Virgo, quos silva coronat
myrtea ? Feminei coetus unde undique silvas
clauserunt strepitu tanto ? Quisnam furor omnes
huc trahit attonitas ? Video simulacra Calypsus,
et Circes, ni fallor : ego Procrinque, sororemque
Orithyian adhuc nosco, Phaedramque Ariadnes
germanam meliore loco. Medeane summis
quae sedet illa jugis? "Dicenti talia, Virgo :
"Dux Pandulphiade, quis nam tibi pandere coetus
innumeros possit ? Non, si Deus ora dedisset
ferrea bis centum, possem memorare profectas
ad nemus hoc animas juvenum, quoscumque cupido
tristis adegit ad has silvas. Amor improbus omnes
huc trahit. Egregios forma quos cernis amorum
tam laetos haec silva tegit, semperque vagantur
sedibus incertis ; requies data nulla, nec ordo
ullus, et amentum dolor est insanus amantum
quin etiam curis confecti semper. Amaris
errant, et tristi pulsant dulcedine pectus
hic, quos saevus amor non una morte peremit."
Haec ubi Nympha, locos et myrtea lustra reliquit,
exsuperatque jugum, lauro, quod silva virenti
cingit, et apricos praevestit gramine colles,
purpureo quod sole nemus splendore nivali
in medii regione nitet ; tum sidera, verso
visa micare polo, fontes hic undique circum
aeternis augentur aquis ; hic fusa recenti
prata liquore madent ; hic strata, superba tororum
Elysios dixere locos ; hic carmina Musae
ducunt, et facili percurrunt pectine chordas.
Hic Phoebus, Phoebique chorus pulcherrima vates
corpora, Calliope genitus praeque omnibus Orpheus,
Maeonidesque, Linusque, pater cui clarus Apollo,
hic Graii, nostrique viri, castusque sacerdos
quisquis, erat dum vita super ; quicumque volentes
pro patria cecidere sua ; qui noscere rerum
tentarunt causas, et qui posuere repertas
divitias aliis ; unum quicumque Tonantem,
non alios, regnare putant : his omnibus alta
tempora cinguntur Phoebaea laeta corona.
Quos omnes ut forte videt Pandulphius heros,
suspicit, et dictis antiquum instaurat honorem.
"Fortunate chorus vatum, qui tempore tanto
non canis ingratis felicia carmina divis,
et fortunati venturum heroes in aevum
quos canitis ; vos quippe sui si magnus Apollo
arbore dignatur, tali si munere donat,
mirandum nihil est : supraque, infraque leguntur
carmina : fama minor non est tellure sub alta,
quam sit apud Superos : leti securus utroque
orbe chorus vatum ; venit cum fenore magno
mortis acerba dies : ergo altera vita superstes
et vobis non unus honos : ite inclyta divum

turba, tenete diu nemorum secreta piorum."
Talia fatus abit, montemque recepit in altum
se se iterum, et latos despexit vertice campos.
Hic vero currus, et equos, atque arma virorum
innumeris diversa locis, hastasque, jubasque,
atque graves galeas signis, auroque decoras ;
hic videt egregios bello, factisque superbos
Thebanos, Graiosque duces ; hic inclyta Troum
agmina, et insignes fati melioris Achivos
laudibus in caelum missos ; hic maximus Hector,
Aeacidesque ferox hasta nituntur iniqua,
contenduntque manu, et multa bellantur arena.
Oedipodionides illic fraterna reposcit
imperia ; hic Tydeus Cadmeia corpora lectos
tot quoque magna viros sternit ; Capaneia adusto
corpore perstat adhuc muro pendentis imago.
Hippomedonta trahunt immensi fluminis undae ;
magnanimum Theseus leto jubet ire Creonta.
Quae postquam vidit, vagina protinus ensem
diripit, in tenuesque furit Pandulphius umbras.
Tum Genitor placidas Nati sic fatur ad aures :
"Nate, quid arma tenes animas laesura volantes,
corpore quas nullo tangi natura negavit ?
Me quoque, cernenti quem vana reportat imago
saepe tibi, cognosce cava qui condor in umra."
Dixit, et agnati detersit lumine nubem,
nudavitque humeros latos, tantusque videri
quantus erat, dum vita fuit : tum filius olli :
"O decus, o generis certissima gloria nostri
note pater nato tandem ; si tangere fas est
te mihi, sancte, sine amplexus petere ante paternos,
corpore discedas quam viso ; cetera demum
ingenti peragas studio ; da jungere dextrae
dextram, oro, coramque loqui." Sic fatus, abortis
pendebat lachrimis, duplicesque ad laeta ferebat
ora manus magni genitoris, at ille precantem
deserit aversus, spatioque ita fatur iniquo :
"Nate, nefas vivis animas tractare sepultas :
sit satis adfari Manes, et cernere, paucis
quod datur ; hoc curas faciat tibi, nate, minores.
Nunc age, quandoquidem Martis versamur in arvis,
adspice Romanos fortes, Poenosque superbos.
Maximus ille, mora qui vicit ; hic ille Camillus
insignis bello , nec non Marcellus, et auctor
Julius Imperii : venit infelicibus armis
ecce gener contra ; pietas en illa Catonis
trans Noton, et siccas Libyae ferventis arenas,
atque alium transgressa polum." Sic fatur, et addit :
"Haec super adspicies Galaoti sceptra parentis
magna mei post hos, aliorum et debita regum
praemia. Tum juvenem latis abducit ab arvis,
turrigerasque procul variis regionibus urbes
monstrat, et undantes populos a limine se se
portarum urgentes longe, regesque sequentes.
Hic Ninus Assyriis bellator primus in armis,
Medorumque duces, Persarumque inclyta regum

nomina ; tum Latii reges, Janusque biformis,
Satumusque senex, Evander, et inclytus armis
Tydides priscos muris qui cinxerat Harpos :
nec procul Aeneas, nec non Lavinia, juxta
Ascanius, multique Albano ab sanguine reges,
Romulus, et frater, Numa post, illumque secutus
Tullus honos Patriae, sequitur quem vanior Ancus.
Prisce, secunda tenes illi loca ; proximus ardet
Servius, ejectumque videt jam sede Superbum.
Post alii Italiae reges, Malatesta propago,
Pandulphusque pater, nec non Galaotus, et acer
Pannonius, quos ipse videns Sismundus abortis
prosequitur lachrimis, dulcique ita fatur amore."
"Majores salvete mei, salve inclyta avorum
turba verendorum : jam vos sperate reverti
rursus in humanos fatis melioribus artus.
Fama tamen vivos fecit vos longa, superstes
restares ut, sancte pater, restaret avorum
nomen, et aeterno meritos donaret honore.
Ite, animae insontes ; campos intrate piorum,
corpora dum surgant vobis data, dum Deus omnes
evocet effusis cernendus in aethere nimbis."
Talia fatus abit, gelidasque interritus umbras,
hortanti genitore, petit : hic tristis imago
noctis opaca silens caecis obscura tenebris
horrore aeterno volitans densatur : iniquis
impia gens animis huc omnis inane per altum
it Chaos ; hic Rabies, et Amor crudelis habendi,
hic Dolus, et variae Insidiis comitantibus artes ;
hic Metus, et Fraudes hominum, Luctusque coactis
ora rigans lachrimis ; hic Pallor, et inscia recti
Invidia, atque Odium crudele, gravisque ferenti
Ambitio, et varias agitans Discordia mentes.
Hic via, quam nigram Superi dixere. "Quis, inquit,
o Genitor, locus hic ? Animae, quas triste gementes
adspicimus, qui sorte carent hac luce ?" "Fatebor
vera equidem, neque te diversa ambage tenebo,
nate decus nostrum. Sedes haec dura ; carentes
lumine quas cernis vitas, dicam ordine causas.
Hi sunt, qui magno numquam parere Tonanti,
nec Lucem voluere sequi : Lux ille ; sed atris
volvuntur tenebris, rectumque, bonumque videntes
a vera longe lapsi ratione relinquunt
justitiam, atque fidem non addixere monenti.
Poena viris aeterna Dei caruisse sereno
adspectu, et numquam Summi Genitoris adire
limina, venturo cum corpore deinde reverti
huc iterum. O quae mens miseris, qui talia adesse,
etsi multa tamen post saecula, tempora cernunt !
Infinita dehinc aetas illa aspera multis.
Utque bonis praelarga dies, et lucidus Orbis
laeta serena vehet ; miseris sic atra vorago,
Infernumque Chaos mediis nigrescet in umbris."
Dixerat ; et multos monstrat stridore sonantes
horrifico, tortae quos verbera dura catenae
adsiduo pulsant fremitu, quos Cerberus atro

ore tonans triplici, miserum ! Cervice fatigat ;
impia Tisiphone media quos surgere mensa
imperat, ardentique immittit in agmina taeda,
quosve Megaera ferox, aut quos irritat Erinnys,
anguibus intortis quae sibilat, altaque turbat
concilia, et trepidos medium jubet ire per ignem.
Hic quicumque nefas furiis immane secuti,
egregias patitur poenas, qui funditus urbes
evertit, qui templa Deum crudeliter ussit,
quique fidem, et vana violarunt foedera lingua :
hic Catilina ferox, hic Lentulus, atque Cethegus,
atque alii infido turbati pectore cives.
Quos omnes ut forte videt Pandulphius heros
adloquitur tali carum simul ore Parentem :
"Dic, genitor, si vera ferunt, si bella Gigantum
ulla fuere ; quibus poenis urgentur, et ipsi
supplicium Titanes ubi exercere jubentur ?"
Ille refert : "Non vana petis, verum ista referre
Tantalus ipse potest, mediis quem cernis in undis
arentem, et ramis captantem poma supernis.
Nam neque fas nobis illuc accesse, nec alti
fata videre Jovis : quare huc concede, senemque
adloquere, et poenas illo scitare magistro."
Sic ait : ille piger numquam ad pia facta profatur.
"Huc ades, aeternumque volens jam linque laborem,
o nimium miserande senex, frustraque tot annis
aeterno versate malo ; secreta Gigantum
Terrigenum mihi damna refer, poenasque suorum
quas scelerum pendunt, memora." Tum Tantalus ore
arenti siccas sic solvit in horrida fauces
verba : "Quid in caelum qui jam voluere superbo
ire gradu, hic Erebi fundo miraris in imo ?
Ima tenent quicumque petunt sublimia ; nemo,
nemo hominum potuit caelum adscendisse, sed alto
vertice dejectus Stygiis caput abluit undis.
Vin" et Aloidas, Otum, durumque Ephialtem ?
Vin' ausos referam montes imponere summis
montibus aerios ? Celso vin' Ossan Olympo
supposuisse ferunt quos demum ? Hos ordine dicam,
nam memini. Quondam tristis cum Thracius Orpheus
conjugis amissae magno compulsus amore
venit ad has sedes, infernaque regna petivit ;
tum fidibus tenues stupuere sonantibus Umbrae,
tum Manes maestos cantu mulcebat, et atra
Tartara ; tum licuit saevos vidisse Gigantas.
Namque Pater nigri tum nostra remisit Averni
supplicia, et dulci tactus fera pectora cantu
ipse Erebi cupidis reginam amplectitur ulnis.
Tunc impune quidem poenas ediscere, sed non
evasisse suas licuit post cuique ; sed illa
forte die Tityos nostras emersit ad umbras.
Ipse mihi poenas imo quascumque baratro
narrabat, quales, Juvenis, ne posce doceri.
Ipse sui primum jecur immortale ferebat
vulturis avelli rostro sine fine recurvo,
inde renascenti jecori instaurare recentes

ore dapes avidam volucrem, tum demere tantum,
crescere quantum oculis subita vidisset in hora ;
ut Titanes adhuc tenebris volvantur opacis :
namque hos magna premit moles, quod Numina contra,
atque Jovem obsesso conati insistere Olympo.
Ab Jove quam distant miseri nunc !" Haec ubi fatus,
effugit, et solitas sitiens se mittit ad undas.
Respicit interea Pandulphi maxima proles
Thesea, Pirithoumque videns, Ixiona juxta
versantem rapidis per inane volubile ventis.
Hic Danai natas maculosa cribella fatigant,
nec non Aeolides saxum fert Sisyphus ingens,
Sisyphus Aeolides lucri cupidissimus omnis.
Hic Eriphylaei facinus miserabile nati,
Tyndaris hic conjux magnorum regis Achivum,
saeva Clytaemnestre, nec non Aegisthus, et ultor
trux Agamemnonides scelerum ; tum caecus et amens
Oedipodes, Atreusque senex, qui sole Mycenas
fraterna, infandum ! Fraudavit caede paternas.
Hic ausi magnum verbo incusare Tonantem,
supplicia infidi magnis patiuntur avari
sedibus ; hic quicumque pios pulsare parentes ;
qui patriam, aut patriae regem quicumque verendam
prodidit, et dominos non una fraude fefellit :
hos omnes una fundo Styx volvit in imo.
Pars inhonesta ferunt avulsis naribus ora,
pars manibus caesi semper post terga revinctis,
pars laticum spuma mediis exaestuat undis,
atque alii gelida nudi tumulantur arena.
Aeacus Aeginae genus hic tonat, Aeacus umbris
imperat ante alios ; sedet hic Rhadamanthus, et alter
filius Europae Minos gravis arbiter Orci ;
nec procul hinc diri squalent penetralia regis.
Hic Phlegeton, illic nigri Cocytos arena
sulphureas permiscet aquas. Quae flumina postquam
conspexere, virum tali Psycheia voce
admonet : "Ausonidum decus immortale virorum,
dux Pandulphiade, fugin' hinc, dum exire potestas ?
Namque ubi caeruleis Nox intempesta quadrigis
vecta polum gelida medium trajecerit umbra,
frustra iter ad Superos datur hinc. Aurora sub alti
quos tellure premit segnis, non amplius umquam
e roseis elata rotis videt. Eia age rectam
carpe repente viam, notisque immittere rebus,
et supero te crede solo ; nam cetera nostris
in tectis narrare licet." Sic fata, morantem
diva manu prendens Stygiis amovit ab umbris.
At Pater Elysios invisit, et arva beatis
ante parata viris. Superas Sismundus ad auras,
sub terris molitus iter, redit, atque sub ipsum
emersit famae templum, silvasque revisit.
Et jam tempus erat, quale est cum luce remissa
sol cadit, atque viae longis conduntur in umbris,
aut ubi prima redit rubefactis lampas Eois,
vespere ceu sero, primo ceu mane colores
rebus abire solent, aut cum coepere reverti,

sidera rara micant confuso tempore ; tali
tempestate virum verbis praetentat amicis
Nympha genus Zephyri. "Quid, age, o fortissime rector
Ausonidum, credis rerum gerat Itala tellus
te sine ? Nil equidem, nisi me dubitare profectum
antiquam ad Cyprum mediis periisse sub undis,
retulit ille : eadem nostrae sententia menti est,
Ausonidum vir summe ducum ; Taraconius heros
illud idem, hoc populi credent : quare arte petenda est
Italia, atque astu ; quam ni defendere pergis,
hactenus incoeptis actum est nihil ; omnia finem
propter agenda bonum ; tum pacis amore gerenda
bella viris : ne Celta ferox, ne barbarus hostis
occupet Ausoniam magna virtute cavendum est.
Tum Pandulphiades medio in sermone loquelas
abstulit, et tenero sic interfatus amore est
multa putans animo natis super, atque cadenti
Italia : "O Virgo, quanam ratione tot undas,
tot maria, et tantos superabo pectore fluctus ?
Nam neque navis adest, mediis quam liquimus undis,
nec fidi comites, quorum pars ulla superstes
vivit adhuc si forte, reor quod non tamen ; unde
huc venient ? Non, ipse velit si Jupiter, oras
posse rear patrias penetrare ; sed omnia quando
scire deas certum est, quam spem tu concipis, ede."
Sic ait ; illa refert : "Dubitas ergo, optime regum ?
Ne dubita : tibi navis erit fidissima praesto,
quam Pater ipse domum divino flamine portet.
Puppe Ligus firma flabris surgentibus Euri
stat tristis Phegeus nostris ejectus arenis :
hunc pete, dum fas est, juvenemque adfare morantem."
Sic ait : ille pedem Templo dimovit ab alto
litora curva petens ; placidis tum Phegea verbis
ignarum adloquitur sola sublimis arena.
"Si potes Italiam solus servare cadentem,
non auri, argentive simul, quae copia multa
est mihi, defuerit merito sua praemia tanto.
Si potes Ausoniis Sismundum sistere terris,
non remis vexare manus, non ducere tonsas,
non labor insano miserum te credere ponto,
sed tibi laetus ager quantum exoptasse licebit,
et domus, et quidquid nostris elegeris oris."
Haec ait ; ille pedes amplexus, et ecce profusis
haerebat lachrimis, genibusque adfusus utrisque,
ut primum optatas fas est emittere voces,
ingenti pietate animos arrectus et infit :
"Ergo incusavi ventos, aurasque furentes
inscius, ingratusque deum, quibus omne quod optem
ultro indignanti, et Furiis injusta querenti.
Auspicibus, Fortuna, Deus, tempusque tulerunt ?
Ignarae mentes hominum, quae vota sequuntur
incerta ratione ! Deus, Deus omnia nobis
dat bona, quo sine nil rectique, bonique potestur
confieri : nihil ille mali, sed nostra cupido,
quae miseris innata trahit mentemque, animumque.
Ille auctor coepti, finem ferat ille precamur.

Ut mala perpetuo nunquam Fortuna fuisti !
Tu ne igitur nostra, Sismunde, ferere carina ?
Atque Deo ducente tuis te reddere regnis
fas mihi, fas populos nautae servare Latinos ?
O minimis Fortuna viris non semper iniqua !
Quin ego. Non aliud pretii, nec munera poscam ;
praemia magna satis sunt haec." Sic fatur ; at illum
ipse manu ad Nympham ducit Pandulphius heros.

## LIBER DECIMVS

H_10 Interea totum volitans jam fama per orbem
ibat, et ambiguo populos sermone tenebat,
Sismundum Ionio demersum obiisse profundo.
Luctus ubique virum vario sermone loquentum.
Occultant lacrimas Itali, sed mente profundi
suspirant, miserumque fremunt : lugubre vagantur
mussantes trepidique senes, juvenesque superbi,
praecipue quos Martis amor, quos gloria belli
dulcis alit : non ulla tubae data signa per urbes
Ausonias ; non acer equus suadente magistro
flectier in gyrum, et cornu quatere arva sonanti ;
non enses, non tela novant, clipeosve, jubasve :
arma petit nemo, frigetque infracta virum vis.
Quos ubi non vano sensit languore teneri,
ipse iterum mentem totam Taraconius heros
impulit ad magnum duri Mavortis amorem,
atque haec in mediis sic est effatus Iberis :
"Magnanimi Celtae mentes advertite paucis,
atque bonum sperate Jovem, qui tempore laeto
pronus adest ; non ipse pios, non ipse precantes
reppulit, et sero quamvis, tamen omnibus idem,
omnibus interdum dulcem largitur honorem.
Nam penetrans Graias juvenis vesanus ad urbes,
antiquam et Cyprum vanos ducturus Achivos,
morte luit poenas scelerum Pandulphius heros
in gelida miserandus aqua. Quem terra tenere
non poterat, tenuere freti vada salsa profundi.
Sic Pater ille deum domat ingratosque, ferosque,
immanesque viros. Italis spes omnis adempta est
imperii. Ductore opus est, qui more superbi
Sismundi fera bella gerat. Quisnam ille per omnem
Italiam, solum quem sic Romana coronent
agmina ? Quem metuant ? Nunc, est nunc tempus acerbum
jam posuisse nefas, turpesque refellere casus.
Mutata est Fortuna loco, quae fida secundis
rebus adest miseras Tuscorum exstinguere gentes.
Scilicet arma ferent auro spectanda polito,
quae praedae, quam Martis habent plus obvia telis
Celtarum imbelles Itali ; duce proelia nullo,
Alphonso bellante, gerent ? Exempla priorum

magnanimi spectate viri. Quot millia Xerxes
duxit ad angustum clausi maris Hellespontum,
tot Medum turmas, equitare per aequora ponti
ausus, et abscissos inter dare carbasa montes ?
In duce res belli posita est ; me rege secundis
auspiciis, fatisque deam, sperate superbos
Italiae populos primi devincere pugni.
Talibus ante Duces magnorum Ductor Iberum."
Tum subito Celtae furiis agitata juventus
experiuntur equos, et se se hortantur in arma.
Nescia venturi mens improba, nescia fati,
caecus amor belli tantum suadere malorum,
et gaudere suo potuit Fortuna favore,
quos alias fors ad lacrimas mutata reservat.
Exsultant, tumidique ruunt, bellum que minantur,
bellum Italis omnes, conjuratique repente
limine pro Jani subito fremuere tumultu.
Quae fama ut pavidas Italum penetravit ad aures,
deficit a sociis Populonia terra Latinis.
Ergo Itali trepidare magis, magis arma timere
Alphonsi, populumque minas, cunctique metu se
dejecere solo, ac tristi intremuere pavore,
cordaque magnanimum quondam sunt strata virorum.
Clade quidem audita concussae funditus urbes
Tyrrhenae : Pisaea gravi tunc arva tumultu
deserta a miseris cultoribus ; omnia bellum
tuta minantur : eunt veteres ex urbe coloni
exilio, proh grande nefas ! Timet inclyta rerum
Roma, decus Latii quondam, trepidique Quirites,
tum Veneti sese Regi junxere superbo
Insubrum populos contra, Ligurumque catervas ;
nam Ligures Tuscos bello juvere priori.
Ergo omnes Lydi quondam, nunc Tusca juventus,
praecipuo trepidare metu ; pars squalida duris
crinibus ora tegunt, pars est amplexa Penates,
et genua alta Deum : celsis altaribus illi
dependent, miserumque fremunt ; aliique per urbes
supplicio, et magnis incendunt aethera votis.
Ipsi, spes bona quos Sismundo certa sub uno
dulcis alebat, eunt pavidi, nec jam ulla minantur
bella truci Alphonso : trepidant juvenesque, senesque,
attonitaeque nurus. Sed jam Taraconius heros
praeficit innumeris gnatum Pherinanta catervis ;
nec minus arma viris sacro depromere templo
jussit, et horrendos belli recludere postes.
Tum laeti proceres per latos agmina campos
eduxere : ruunt equites, peditesque sequuntur,
Parthenopaea, tuos linquentes ordine campos.
Quos ubi stellifero Superum despexit Olympo
rector, in haec vocem divinam fata resolvit
Mercurium antevocans : iterum, Cyllenia proles,
nate, vola, claroque celer delabere Olympo.
Cimmerios pete, nate, locos, tenebrasque relinque
parte alii, Zephyrique domos, et Templa superba
ingredere, ac notis Sismundum vocibus imple.
Dic ut in arma ruant populi, Celtaeque superbi,

tentet fortunam, et fatum inviolabile divum ;
namque dabit Deus ipse viam, tempusque monebit.
Praeterea petat auxilium natamque, patremque,
namque dabunt reditus faciles, flatusque secundos :
nec prius Etruscas penetraverit hostis ad oras,
victor Arimineam quam sit delatus ad urbem.
Sic ait. Ille nihil contra adversatus, ab alto
se mittit caelo, solitasque reverberat auras,
Oceanique petit Deus alta fluenta reposti.
Invenit ut vario miscentem pectora motu,
talibus adloquitur Juvenem Cyllenia proles.
"Me Pater ille deum supero tibi mittit Olympo,
qui freta, qui terras, atque aurea sidera torquet.
Scine ut in arma ruant populi, Celtaeque superbi,
Hispanique truces, Alphonsique inclyta proles ?
Quin petis auxilium, jubet hoc, Natamque, Patremque,
namque dabunt reditus faciles, flatusque secundos ?"
Dixit, et in tenues fugit intractabilis auras.
Obstupuit visis magnorum victor Iberum,
et subito ad Nympham divina oracla reportat,
adfaturque patrem Zephyrum : "Dux maxime veris,
venturaeque aestatis honos, qui floribus agros
insignis variis laetos, cui spiritus altis
arboribus frondes, cui sufficit aura jugali
connubio volucres, et qui ferventibus undis
progeniem liquidis educunt sedibus udam ;
quem mare navifragum sentit, quem daedala tellus,
ipse velis nostro, Pater, adspirare labori."
Sic ait : huic veris contra Pater inclytus infit.
"O virtute tui summo notissime caelo,
linquere te portus facile est, atque alba secundis
tendere vela Notis : labor est superare furentis
caerula vasta maris, scopulos, et saxa latentia,
et Syrtes vitare malas, avidamque Charybdin,
latrantemque antro Scyllam, canibusque gementem,
delphinasque vagos cauda pulsante prementem.
Quare animum dictis adhibe, et te signa docebo,
atque utrumque latus quonam vitare licebit
et superare modo ; namque hinc ad sidera moles
vasta minans pelago subjectas despicit undas
incussas crebro duris a cautibus ictu."
Has autem cautes planctas dixere beati
caelicolae, quas praeter aves plaudentibus alis
non veniunt, non inde Jovi venere columbae
ambrosiam Summo referunt quum forte ; nec ullis
classibus hac iter est tutum, qui durus Ulysses
non sine parte sui potuit transire relicti.
Sola autem incolumis superavit caerula ponti
Argo, quae saxis non est elisa, quod ultro est
praetermissa manu Junonis, Jasona quando
diva potens caeli miro servavit amore.
Forte duo scopuli adparent cum veneris illuc :
occupat hic caelum sublimi vertice nigris
nubibus obtecto ; rubri non ardor ab aethri
triste cacumen habet, nihil hic aestate sereni,
autumnoque die candentis ; scandere quem fas

non ulli est hominum : medio specus aestuat antro.
Hinc procul o fragilem, juvenes, inhibete carinam,
et prohibete ratem saxis haerere malignis.
Hic est Scylla rapax, fremitu quae verberat aequor,
monstrum immane ferox, cui stant capita atra frementi
sex numero, atque pedes bisseni, et faucibus atris
impia letifero mortis foedata veneno
ora sonant triplici ter dentis acumine densi.
Eminet ex antro taetri pars maxima monstri,
et capita aethereas ostentat Scylla sub auras.
Delphinis, canibusque gemunt femora hispida vasto
latratu. Illa viros puppi detraxit Ulyssis,
et gaudere potest tranat qui impune Charybdin,
parte alia adsurgit scopulis quae tristis adesis
fronde sub horrenti vomitans fluctusque sonantes,
absorbensque iterum ; ter ad aethera murmurat unda,
ter cadit in praeceps, vastoque remugit in antro :
haec fugienda tibi." Tum sic Pandulphius heros :
"Omnia sunt animo, Genitor, haec cognita nostro,
quo fugienda modo Scylla est, atque atra Charybdis.
Verum illud, quod tu memoras, quod Jasona Juno
juverit auxilio, scopulis ne verteret illis ;
non ita me docuit senior jam forte Carinus.
Noverat ille situs terrarum : retulit ille
Euxini solas Graios adnasse per undas,
quique Propontis eos alienis intulit oris."
Vix ea, cum Zephyrus ridenti reddidit ore :
"Non novit senior, memoras quem forte, Carinus,
dum fugit Aesonides abducta sponte puella
magnanimi regis faciles mortalibus Aetae
quod metuens portus, et avaras praeterit oras,
atque ideo primum juvenes venere per Istrum
innumeri jam tum ; qui postquam deesse videbant
undas remigio, sublatam fortibus Argo
imposuere humeris, et quae portaverat ipsos
portavere ratem, donec posuere reposto
in pelago, hinc remis Tyrrhenum vecta per altum.
Nec te Maeonii vatis memorabile carmen,
nec te musa latet. Circe cum instruxit Ulyssem,
inquit ea haec Ithaco cum jam migrare pararet :
Scylla tibi fugienda, viros quae puppe revulsos
obruit, aequoreasque furens jubet ire sub undas.
Sola autem incolumis superavit caerula ponti
Argo, quae saxis non est elisa, quod ultro est
praetermissa manu Junonis, Jasona quando
diva potens caeli miro servavit amore.
Haec Ithaco Circe jam jam memorabat eunti.
Non igitur senior referebat vera Carinus,
qui nunc peccati poenam luit improbus omnem.
Et quoniam, ut narras, vidisti forte Carinum,
nunc referam casus mutati corporis omnes.
Est locus Eridanum juxta, piscosa secundum
stagna, Padusaeos resonant ubi flumina cygnos.
Hic dum forte senex curvos adservat asellos
Mercurium latis ipsum non vidit in arvis.
Viderat ille quidem, sed non agnorat eumdem

saepe deum ad se se venientem, ac magna ferentem
munera, si Maia genitum pius ille salutet.
Verum alio mentem diviserat, atque palustri
culmine saepe latens pecus omne ad tecta reducit
immemor ipse dei, nullum cui reddat honorem.
Non tulit ulterius peperit quem Maia Tonanti :
"Munera quandoquidem non vis mea, dixit, habebis
haec tibi, quae totos memorent tua facta per annos ;
amnibus herbosis, stagnoque querere loquaci ;
guttura quae tibi sunt, eadem remanere jubemus,
idem oculi rubeant, eadem stet vocis imago ;
spinaque, quam prato posuisti saepe virenti,
sit viridis, dorso quae dividat alta natanti
flumina ; rana loquax sub aqua quacumque recumbas."
Sic effatus, aqua Lethaei fontis inertem
sparsit, et elata percussit tempora virga.
Ille virum exuere incipiens, sine mente, sine arte,
ingenio fretus, limosis desilit undis,
turbavitque lacus, sonituque exterritus imo
delituit stagno. Talis fuit exitus illi
pastori eximio quondam, si nosse liceret
Mercurium, et saevas Superum non temnere laudes.
Sed nec dignus erat, de quo tot verba referrem,
dum cupis auxilio Italiam contingere nostro.
Nec moror ulterius flatus spirare secundos ;
Phegea jamque voca socium, navisque magistrum,
et conscende meis confisus viribus aequor."
Talibus auditis gaudet Pandulphius heros,
adtollitque animos bellorum incensus amore.
Ecce autem Phegeus subducta ut forte carina
utre ferens ventos, quibus ipse per aequora ferri
posset, si norit factum Taraconia puppes :
flamina puppe ligat ; clausos vehit aequore ventos.
Tum bonus Ausonides : "Age dic, sanctissima nympha,
nympha animo certe dudum gratissima nostro,
per tibi siquid amor meus in te dulce relinquet,
oro, animi miserere mei ; dic, optima virgo,
qua virtute feros Italis a finibus hostes
pellere, et audaces possim devincere Celtas.
Nam neque me frustra Genitor tua limina jussit
adventare, dares ut tu praecepta, nec ipsis
deficeres fatis, sed sancta oracla referres.
Consiliis opus est nunc demum ; vincere Celtas
si Fortuna jubet, jam nunc da morte vel atra
occiduis periisse vadis, precor, optima Virgo,
defensorem Italae per magna pericula gentis,
victorem Alphonsi quondam. Mors illa beata est,
quae cum laude venit. Turpem ne ego vivere vitam,
atque oculis spectare diem cupiam inde fugatus,
unde ferum validis dejeci viribus hostem ?
Absit ut iste foror : potius mihi nigra videnda
Tartara sint iterum ; potius terraeque recessus,
Oceanumque deum videam, Tethynque parentes,
aut maneam vestris in sedibus." Haec ita fato
rettulit ipsa viro Zephyri Psychela Virgo :
"Nulla viro forti dura est via ; nulla volenti,

si modo recta velit, res est infecta : quid autem
Alphonsum dubitas Italis avertere terris,
id vero dubitare nefas. Vix ille tuorum
oppida Tuscorum capiens non multa, laborem
incassum victor praemissis traxerit armis,
praeter Arimineam cum te Pater almus ad urbem
vexerit ; ille dolos Divum cum norit, et acri
terga parare fuga, et solitas volet ire per undas."
Talibus auditis gaudet Pandulphius heros,
conscenditque levem Zephyro spirante carinam.
"Nympha vale, memori quam pectore semper amabo,
semper honore sequar : nostras tua fama per urbes
et decus, et nomen cunctis vulgabitur horis."
Dixerat, avulsaque volat per vasta carina
aequora, nec ventos audit spirare frementes.
Solus in Eoos pandebat flamina tractus
Hesperides Zephyrus : neque enim Jovis ales ab alto
aethere se mittens, clausis cum devolat alis,
tantum aperit caeli divisis aeris auris,
quantum puppis aquae vento secat acta secundo.
Miratur silvas Pandulphus abire virentes,
miratur tremulos Zephyro subsidere fluctus,
miratur campos liquidarum laetus aquarum,
nec minus aetherei tractus suspectat Olympi.
Omnis ab adspectu tellus abscesserat, altum
spectabat pontum, et lati spatia undique caeli.
Fallit et ipse viam vario sermone, diuque
narrat inauditi multis miracula Ditis,
nunc referens comiti Tityon telluris alumnum,
jugera tota novem vasto qui ventre premebat ;
Sisyphon Aeoliden, et Tantalon, ancipitique
membra rota versi ad vacuas Ixionis auras,
Herculis et magni simulacrum grande ; sed hujus
umbra stat infernis in sedibus, aethera at ipse
calcat, et aeterni Patris se coetibus addit
connubiis Hebes laetus florentis. Ibi alta
talibus Oceani linquens dux ipse fluenta,
Atlantis celsi cernit caput, unde solutae
sole nives tandem barba liquuntur ab uda.
Jam terras, mediumque fretum, Maurusiaque arva,
Hesperiasque domos, montes, camposque videbat.
Tum vero laetam tollunt ad sidera mentem
gaudia, ut Ausonii sperans tellure potiri
cernit utrumque latus terrarum, et litora noti
aequoris : Hadriacum subiit mare, dulciaque arva,
et patriae sedes, campi, collesque beati.
Interea pavidos Pherinas invadit Etruscos
filius Alphonsi Regis, clarissima proles,
Lydorumque domos igni, ferroque superbus
exscindit primo ingressu, civesque trucidat,
terrorem incutiens aliis, Tyrrhenaque forti
oppida capta manu fumantia culmine ab alto
aequat humo. Sed ubi jam jam Foliana lacessit
moenia terribili sonitu, subitoque tumultu,
Lydorum gens omnis eo confluxerat arctas
tutari fauces, hostemque avertere caris

finibus. Instabant ergo Celtae, atque superbi
Lydorum contra populi, Tyrrhena juventus.
Agmina Celtarum Tuscis occurrere turmis
praecipitant, ipsumque vocant in bella superbum
Estora magnanimum, campis qui se inscius aequis
credit, ubi totas amisit perditus alas ;
undique enim positis medium cinxere catervis.
Terribili insultu fugit tamen ipse ; sed omnes
amissi bello comites : ipse aeger inermes
effugit ad socios, Tyrrhenorumque phalangas.
Tum vero Celtis animum decus extulit ingens,
arrectaeque ducum mentes ad laudis honorem.
Tum Foliana petunt turbatis moenia Lydis :
jussi equites Pherinanta sequi : pedes omnis Etruscos
primus adit, magnumque trahunt in proelia martem,
exercentque iras furiis, dulcique favore.
At miseri summo pendentes aggere Lydi
despectant imis venientem vallibus hostem.
Illi autem contra suspectant turribus altis
adstantes Tuscos, turbataque pectora primo
Marte vident, caelumque vagis clamoribus implent.
Nunc trepidos, segnesque vocant, qui moenia clausis
adservent miseri portis ; non inde futurum
auxilio obsessis Sismundum : dedere malint
sponte sua sese, miseram quam degere vitam
navibus, extremum poenae genus : omnia demum
ante oculos habeant sociorum. Nec minus illi
contra autem dictis incessunt fortibus ; hosti
eventum belli talem fore, qualia circum
moenia gesta diu Populonia bella superbis
Hesperiae populis ; Italis nec deesse potentes
ductores, quae terra viros invicta superbos
extulerit, Curiosque graves, fortesque Camillos.
Talibus Hesperidae, atque Itali contendere dictis.
Verum ubi nil agitur dictis, pugna atra furentum
exoritur longe juvenum : tuba rauca canorum
utque dedit sonitum, crepuitque per aethera clangor,
tum vero incumbunt omnes, murisque propinquant
et Celtae, et nati permixto sanguine Iberi.
Contra autem magno Tyrrhena favore resistunt
agmina ; utrimque quidem pauci, sed marte probati,
jam labente die sumptis cecidere sub armis.
Prima dies parva defecit caede superbos
amborum populos aequo discrimine pugnae.
Postera ut orta dies, Pherinas ingentia jussit
muniri ad subitas lapidum tormenta ruinas.
Tum strepita ingenti revoluto machina saxo
intonat aere gravi, vastoque remugit olympo,
adstantesque viros summis pro turribus ingens
agmen agit secum vasta cum strage ruina ;
quo casu defessi animi, ceciditque viris spes
omnibus Ausoniis : vires audacia Celtis
addidit : erumpunt magno clamore cohortes
protinus, ardentesque volant, nec tela, nec ulla
pugna morata viros : adeo mens omnibus una,
unus amor laudum, dulcesque ante ora triumphi

sperati numquam tantorum ardore favorum.
Obtruncare viros, urbemque incendere flammis
omnibus est animus, fortunaque suscitat arma.
Ergo animis superant ingentibus omnia contra
tela Italum instantes, jaculisque a moenibus altis
deturbare parant Lydos ; contra ocius illi
missilibus crebris, vastisque molaribus urgent
moenibus haerentes, scalasque ad tecta ferentes.
Hic Mars vociferans summis a moenibus ; "O gens
Lydorum, quondam saxis contenta jugosis
ponere tuta loco non unis moenia muris ;
gentis Tyrrhenae custodes, semper amore
libertatis opus, Martis laudemque secuti,
cedite ne Celtis pugna ; queis pectus inermum
Non ferrum, non saxa gerit, totidemque cruoris
effusae tacto manant de corpore guttae.
Non Alphonsus enim pugnat, sed filius aevi
inscius, et primis vinci qui possit ab annis."
Sic effatus, ovans muris se misit ab altis,
pugnantique viro similis tonat horridus armis
in medios Celtas, et duros agmine Iberos
terribili inrumpens, multis et funera dextra
mittit, et apprenso juvenem Pherinanta lacerto
arripiens, longe fossis amovit ab altis ;
atque ibi summa dies olli cum laude fuisset,
ni manibus juvenem tenuisset Pallas amicis,
quae fratrem adversa venientem reppulit hasta :
et quacumque tulit gressum Tritonia Virgo
cessantes subito revocans in bella, timore
quos cessare videt dictis instigat amaris :
"Non hic dux Italum, non hic Pandulphius heros,
nec differre minas tempus : nunc fortibus armis
est opus, atque animo praestanti, et viribus illis,
queis Getula manu cepistis moenia forti.
Nunc ruite, et conferte manus ; timor absit Iberis
Ausonios contra paucos." Sic fata reliquit
accensos ira populos, Celtasque furentes.
Illi autem denso concurrunt agmine ad altos
infensi muros. Alphonsi maxima proles
Euneon ante alios praemittit : at ille volanti
exsuperat cursu fossas ; cui Lydius Atreus
saxum ingens dextri muro demittit ab alto.
Ille quidem contra spirans immane, nec hostes,
nec mortem curans, muros dum prendere tentat,
occidit immanis collisus pondere saxi :
crura, femurque lapis divulsis ossibus ingens
obruit, inque pudens solvit compagibus alvum.
Ille tamen fusus, mediaque supinus arena
ad socios dextram tendens orabat, acerbi
sorte dolens linqui, atque animo indignatus iniquo.
Non tamen idcirco cessabat maximus Atreus
vulnera crebra ferens, truncumque adfixit arena
semianimi juvenis ; tum viscera rupta fluebant
aggere de summo in fossas, tenebraeque natantes
demersere oculos. Sed non melioribus Atreus
auspiciis in bella furens certabat ; adunco

quandoquidem ferro raptum detraxit Orontes
praecipitem, et lacero signantem moenia vultu.
Morte viri turbata manus Tyrrhena ; vicissim
inque viros nunc tela manu, nunc saxa rotabant,
hortanturque suos quisque, et clamore supremo
una unis fremuere animis, hostemque propinquum
pulsant, et medium duris hastilibus urgent.
Illi fixa manus clypeo est ; singultibus ille
ilia crebra ferit ; nulli sine sanguine Iberi.
Praecipui, ignavique cadunt ; discrimina nulla
virtutisque, metusque ; virum densa omnia tela
digna, indigna premunt ; telo tum simplice nemo
oppetit ; ater abit per multa foramina sanguis.
"Haec promissa, duces, magno solvenda parenti,
haec est illa fides, quam me ductore dedistis
Alphonso genitori ? Utinam bello ipse veniret,
spectaretque viros, procerum tot lecta suorum
agmina, cessantes, retroque timore ruentes !
Quae vos segnities tardat ? Spes nulla salutis
Ausoniis. Pugnate brevi, qui tempore longo
victores teneatis agros, et rura beata
devictae Italiae vobis. An praemia parva
pro subito sudore virum reddenda putatis ?
Eia agite, et mecum vasta quassate ruina
moenia : non numero vincunt, non viribus hostes."
Dixit ; et ad muros cursu volat impiger acri,
adstantemque Gyan muro, durumque minantem,
mittentemque sudes ferro rapit asper adunco,
detraxitque virum magna cum parte revulsa
murorum ingenti sonitu, Tuscumque jacentem
occupat, atque genu pressum terrae adplicat, ensem
fulmineum extollens dextra, elatumque retorquens,
quo ferus increpitans jugulum simul haurit apertum.
Ille volutus humi taetros vomit ore cruores.
Tum quoque terribili sonitu, subitoque fragore
saxea flammifero moles emissa camino
impulit adversos titubantia moenia muros.
Inde aliud saxum, bisseni tollere frustra
quod cupiant homines, labefactis machina muris
protulit aere gravi, vastoque remugit olympo :
quo pulsu dejecta solo fumantia multo
pulvere lapsa cadunt turbatis moenia Lydis.
Ut Celtae faciles aditus videre, furentes,
urgentes sese muros penetrare diremptos
certatim instabant densi, magnumque fremebant,
quos nec parva manus Lydum prohibere petito,
nec removere loco quibant : per tecta, per aedes
undique diffugiunt ; hostes potiuntur et urbe
et victis bello Tuscis, multosque trucidant
praecipuos : multi ad naves, captiva juventus,
evincti post terga manus mittuntur ; ubique
clamor, ubique graves gemitus in corde resultant
adflicto miseris : duplicantur vota, precesque,
et lamenta virum vacuas volvuntur ad auras :
desperant alii, graviterque infanda rogatos
incusant sine more deos. Quae talia postquam

accepere alii vario sermone Latini,
ingenti tremuere metu, quos pontus et infra
et supra inspecto circumsonat Appennino.
Tantus ubique timor, tantam se fama ferebat
cuncta per ora virum ! Multi petere alta canebant
ecce Fluentinos Celtas jam moenia muros ;
hi Graias toto jurabant agmine Pisas,
Flaminias alii memorabant currere ad oras.
Hic Pherinas postquam muros ingressus Etruscum,
vulnera curari quicumque est saucius ultro
imperat, exsequiasque viris Mavorte caducis
impensa ingenti vanum concessit honorem
laetus, et ingenti mentem dulcedine tactus.
Nec minus Alphonso legatos mittit, Etruscum
qui cladem, et miseri declarent funera vulgi,
atque aditus Celtis primae regionis apertos.
Exin bella ferat cui primum, quam prius urbem
obsideat, quae jussa Patris mandata capessat.
Olli Parthenopen, optataque regna petebant.
Nati oratores magnam Genitoris ad aulam
ut venere, jubet trepidos mandata referre
rex Alphonsus, et haec : "Quid me natusque, ducesque
sollicitant ? Quae bella gerant, quae prima coronent
moenia Marte sciunt ; neque enim dubitare licebat,
hinc ego digressis quaenam praecepta dedissem,
hostili in terra quos hibernare jubebam,
et jubeo ; quamquam viridem decussit honorem
arboribus Boreas, autumno et bruma relicto
succedat non tarda licet ; quae moenia victu
fertiliora vident, capiant. Haec jussa parentis,
haec sunt, quae nati caras referatis ad aures."
Talibus attoniti dictis, regisque timore
legati redeunt, Pherinantaque talibus implent.
Laetior ille duces in coetum convocat ultro,
adfaturque viros tumulo sublimis ab alto.
"Quae mandata Patris, proceres, quae certa voluntas
est, audire placet : mentes advertite, dicam.
Ipse jubet patrias ne quis secedat ad oras,
sed cuncti hiberno campis tendamus Etruscis.
Nec jam dura mei videantur et aspra parentis
jussa, viri : veterum sinitis si facta virorum
censeri, Italiam Poenus tria lustra vel annum
sole repercussum ferro vastavit, et igni :
nunc Poeni sane nobis dant magna tributa,
atque Italum gentes multae, Lucanaque tellus,
Campanique duces, atque Apula regna, et Iberis
omnia sunt magnis loca debita Marte trophaeis,
qua tepet Oceani, qua caerula Tethyos ora.
Quod superest Latii facile est domuisse tyrannis
Hesperiae antiquis. Primum Tyrrhena gerenda
bella quidem nobis, quod nos tellure, fretoque,
auxilio duplici, miseros vastamus Etruscos.
Sunt contra, Ligurumque manus, Insubriaque arma.
At Veneti contra, quae gens dirissima multi
argenti atqae auri, nobis sunt undique magno
auxilio, Hadriacumque tegunt jam classibus aequor.

Ni parere velint, certum est aequare tepenti
moenia adusta solo." Sic fatus, ab aggere summo
millibus innumeris stipatus cessit, et oras
vicinas populatus, agros, Castellaque vastat
proxima, queis nec honos magnus, nec nomen, ubique
diripit, inceditque domos, durosque trucidat
agricolas. Alto genitor quum celsus Olympo
Jupiter aeterno despexit lumine terras,
mortalesque virum miseratus corde labores,
Junonem adloquitur , dictisque haec mandat amicis.
"Heu quantam stragem populis molitur Etruscis
filius Alphonsi Pherinas ! Quae funera mittit
omnibus ! Olli autem quod non duce proelia forti
prisca gerunt, nullo vicunt certamine Celtas.
Ipsi sacra mihi primi fecere, nec horum
majores pietas divorum fugit : Iberis
contra autem sanctum nihil est, nec honore Sacerdos
ullus inesse solet propter tam dira virorum
pectora ; Pontifices imponere navibus ausos,
remige ne patrio sese dignentur , et ipsa
scis, et saepe doles : adeo gens improba, Divum
immemor, exsultans furiis bacchatur iniquis,
sanguinis humani cupiens haurire quod usquam est.
Fallet eos certe mea nunc sententia ; quando
stat Superis servare pios, nec inania frustra
vota precesque volant superas emissa sub auras :
audit enim genitor Divum quaecumque precantur.
Quare age, et aeream demitte e nubibus Irim
indutam varios caelesti veste colores.
Aeoliam petat illa tuam, saxoque sedenti
Hippotade mea jussa ferat, qui carcere ventos,
et duris frenat vasta sub mole catenis.
Dic Austrum, Boreamque premat, contraque furentem
Euron, et Eoos contraria flamina ventos :
at Zephyrum dura solum non claudat in aula ;
hoc opus est nobis ; illum terraque marique
insultare sinat." Contra cui maxima conjux :
"Mitto equidem variam mediis de nubibus Irim ;
sed me causa latet, quare cum cetera jussis
flamina clausa tuis patrio teneantur in antro,
quid Zephyrum dura jubeas emittier aula.
Odisti unde alios tantum quid denique ventos ?"
Huic contra placido respondit Jupiter ore.
"Ipse ego nec ventos odi, pulcherrima conjux,
nec Zephyrum foveo plus quam Boreamque, Notumque ;
sed nobis Zephyris ad quod molimur amicis
est opus ; abde tuo mea nunc sub pectore dicta.
Rem minime ignotam referam tibi. Maximus armis
dux Pandulphiades Hispanas dividit undas
puppe quidem parva, magno sed pondere onusta.
Hanc Zephyri auxilio longis dissolvit ab oris
Oceani ; hac victor Tyrrhena per aequora vectus
avertet saevos Lydorum a litore Iberos."
Talibus auditis gaudet Saturnia Juno,
Aeoliamque Irim caelo dea mittit ab alto.
Illa volans summo defertur ab aethere, et imas

ventorum ad terras celerem se mittit, et ipsi
jussa refert regi, qui jam parere parabat.

## LIBER VNDECIMVS

H_11 Navigat interea notas Pandulphius undas,
jam patrias Sismundus aquas, Genuamque propinquam
optat adire animus, noctemque, diemque secundo
findit iter liquidum Zephyro ; tum prospicit urbem
turrigeram, et laetis conclusam collibus. Ecce,
ecce autem Celtae, crebris qui forte rapinis
Tyrrhenum infestant, multis cum navibus adsunt.
Tum Phegeus ventos, quos utre ferebat in altum
spirantes solvit velum ; tunc ocior omni
turbine fertur aquas scindens, undasque refluxas.
Quae tremulos celeri superavit ut agmine fluctus,
intravit laetam fortis Pandulphius urbem,
barbaricumque aliquid populos sermone frementes
ingreditur, speciem cujus mirantur : at ille
qui sit adhuc nulli patitur se noscere, donec
praetentatque animos, et se praesentit amari,
optarique, quod est, vivum fore. Patribus ipse
sese aperit demum. Stupuit canusque senatus,
miratique animo cives, laetamque per urbem
ipsi epulis, genioque vacant, dulcique Lyaeo
indulgere jubent : illum mirantur, et illum
circumstant, reducemque virum gratantur, honore
accumulant quem praecipuo, quem denique donant
muneribus magnis. Bis centum dantur equorum
corpora lecta duci, comitesque, ducesque, viarum
experti bello juvenes. Jamque urbe relicta
montosas Ligurum laetus penetraverat oras,
Insubrumque domos, Ticinaque rura tenebat.
Inde Padum supra sub te, Apennine, tuoque
vertice laetus iter tenuit, Parmamque frementem
Martis amore perit ; priscos cui Roma Quirites
transcripsit magno genitos Mavorte, genusque
immortale virum, quos fas non vincere bello.
Cassius hinc vates, hinc Cassius inclytus armis,
atque alii proceres ; quorum fortissimus ardens
fulmen Otho belli non vanis Tertius armis.
Hinc genus egregii cives, Romana juventus,
procedunt regi per latos obvia campos
agmina, Pandulphumque vocant, ipsumque coronant
quisque suo demissi ab equo ; quos ille libenti
accipiens animo dulci compellit amore.
"O veterum gens prisca virum, quam mente benigna
accipio, videoque meos antiqua Quirites
nomina ? Arimineis mixtos genus ! Una propago est
Romulidas sortita Patres, quos sanguine ab uno
scindere se veterum nos scimus origine avorum.

Quare agite antiquum, Proceres, renovemus amorem."
Inde petit Mutinam ; patrias hinc laetus et urbes,
Flaminiasque domos, et regna paterna revisit.
Quae fama ut pavidas Celtarum venit ad aures,
obstupuere metu ingenti : pars credere famae
indignata negat secum ; pars illius artes,
insidiasque timet ; partem fortuna Latini
nominis externos contra non aequa fatigat.
Ast Italos laeta demulcent gaudia mente,
e Latio innumeris nam jam venere catervis.
Ac velut Oceano veniens Gradivus ab alto
Thracas adit placitas rediens jam victor ad oras ;
sic Pandulphiades patria Sismundus in urbe
ingentes animos adtollit, et impiger ardet ;
ardet enim, patriasque cupit jam linquere terras,
Apennine, tuum caput ascensurus, et arces
aerias, campisque iterum se reddere Etruscis ;
incensumque ultro magni Mavortis amore
instigant Itali studiis, et voce faventes.
"O decus Ausoniae, magnorum ductor Etruscum,
nunc opus invidia est ; nunc te tua dextera demum
antiquis praeponat avis : invicte Latini
nominis ultor ades ; te nunc ostende, nec ultra
tende moras ; in te certae spes vera salutis,
omnis honos Latii Sismundo restat in uno.
Te super omne decus ; de te fas discere virtus
quanta sit, et justo possint qui vincere bello.
Nunc veris certare odiis, nunc arma licebit
scilicet, et votis optata capessere bella.
En portenta mali jam nunc dant signa futuri ;
numquam alias spissum tanti caligine vidi
aera, numquam aliis tanto se opponere nixu
defectusque polo Solis, Lunaeque recursus.
Nunc aliquid magnum caelo molitur in alto
Jupiter : ipse vides promittere magna cometas
funera. Nulla fides hominum surgente tumultu.
Quod restat Latio, veniunt in foedera reges
externi, Ausoniasque audent sibi poscere terras.
Tali Roma malo, tali concussa ruina
Italia est, ni bella capis, ni proelia misces,
ni ruis in Celtas, et saevos agmine Iberos."
Talibus Italiae proceres de rebus agebant ;
quos inter dictis loquitur dux magnus amicis.
"O commune genus Latiae telluris alumni,
magnanimi Ausonii, quasi me non ante volentem
sponte mea Alphonsum contra bellare, rogatis ?
Ne vero, ne tanta animis ignavia surgat
ullius, ut dubitent Sismundum proelia contra
invitum expertis Celtarum obstare periclis,
quos vici, quos magna virum tot millia fudi.
Haud ita pulsa loco nostra est fortuna priori ;
non sum adeo ignarus bellorum, et martis Iberi.
Impubis pueri turmas spectemus equestres,
spectemus simul et campo certemus aperto.
Nec timeo Alphonsi furias, et inania verba,
quae Celtis sine more volant. Nos arma movemus,

verba serunt illi, quae vos jam ponite laeti,
et bellum cuncti votis optate secundis.
Infidis negat altus opem, nec Jupiter audit
vota nefanda virum. Testis sit Troja, soluto
foedere quae telo magnos violavit Achivos
Pandarea misso dextra, cornuque sonanti.
Illum ipsum, qui tela manu , qui foedera solvit,
Tydides curru defudit victor ab alto.
Quare agite, o socii, restat quod rebus agendis,
procurate citi ; neque enim mora longa ferendi
auxilii patitur miseris requiescere Lydis."
Sic ait : ast Itali laeto fremuere tumultu.
Extemplo omnis eum ductorem deligit uno
adsensu Italia, et cunctas dat habere catervas.
Quae fama ut pavidas Celtarum venit ad aures,
mittit Arimineam lectos Alphonsus ad urbem
legatos, qui dona ferant, pacemque refecto
foedere qui firment ; Latio fatalia dicant
sceptra externa deum deberi numine ; quando
principio reges Janum Latium omne tremebat,
Saturnumque senem ; Diomedis ut Appula regna
imperio Graii multos regnata per annos,
Aeneamque, genus divum, tenuisse Lavini
moenia ; ut Albani Trojano ab sanguine reges
corrigerent duros antiqua ab origine agrestes.
Romam a principio fundatam Regibus Urbem,
Atque ubi consulibus multis divisa fuisset,
in se versa ruat sua mox per viscera ferro
exacto, donec Trojani ad Caesaris unum
venerit imperium, Tuscos, inimicaque regum
nomina desereret : moneat Mezentius ipsum
urbis Agellinae pulsus de sede ; nec umquam
Alphonsum credat reges odisse Latinos,
nec bellasse, nisi magnis ut regibus hostes
exscindat, Latiumque potens in pace reponat.
Nec dubitare quidem, cupiat si foedera Lydis
jungere, in ultoris bellum caput ingerat omne ;
sed per magna deum, terras quibus ipse Latinas
auspicibus teneat, testari numina, numquam
hoc animo in reges, nec mente fuisse Latinos.
Verum illud, quod forte magis mirabile magno
Sismundo videatur, eum coluisse, suique
regnorum partem magnam dare velle, ducemque
Ausonidum contra Teucros, Byzantia qui nunc
obsidione premant jam quassis moenia muris,
mittere, et Italiam superaris reddere Teucris.
Talia dicta ferunt Pandulpho, atque ordine pandunt
omnia : legatis cum sic fortissimus heros :
"Ite, redite citi, ductorique haec mea vestro
dicta referte. Genus Latii servile, quod ille
regibus externis portendi censet, id omne
Celtarum regi nutu Jovis esse negatum :
proinde nihil speret deberi jam sibi ; verum
esse aliam in Fatis seriem, qua Barbarus omnis
cedat ab Italia, nec post arma ulla resumat :
nec Romana prius patria cecidisse ruina

imperia, extremis Celtas quam fuderit oris
consul, et infensos bello superarit Iberos.
Nec censere quidem Tuscos fore regibus hostes,
sed crudos pronosque manu contra ire tyrannos.
Quod vero nobis inimicam exstinguere gentem
apparet ; id quondam non est mihi visus apertis
velle parare dolis, fidum cum me improbus ipsum
excipit insidiis, et multa fraude Biaon.
Ille inimicus enim mihi plus quim tartaro et ipsi
pectore qui celet, numquam quod et ore revelet.
Quod Teucros, Asiamque velit me mittere contra,
ibo ego sponte mea cum primum cana soluto
bruma gelu totas fluviorum oppleverit undas.
Interea Ausonia Celtas arcere superba
experiar, dirisque minus me fidere Iberis.
Ille nefarius est, immanis, et impius, ipsum
quisquis amat bellum, populariaque excitat arma :
verum defensat Patriam quicumque labantem,
oppressamque malis, hic fortis, et aequus, et insons.
Haec, oratores, regi responsa, referte
Alphonso, ne vana terat dehinc tempora : pergat,
pergat, et Ausonios bellis petat usque nefandis,
quos equidem, nec plura minor, defendere certum est."
Talia fatus, adhuc aliquid tentare volentes,
maerentesque animo Celtas, vanumque precantes
liquit, et arce sui sese dux ipse locavit.
Olli autem maesto demissi lumina vultu
multa diu inter se fati, variumque locuti,
deveniunt tandem regis pugnacis ad aulam,
et responsa ducis Pandulphi, ac dicta superbi
ordine quaeque suo referunt, pacemque reportant
infectam. Doluit furiis accensus, et ira
Rex ferus, infrendensque minas, et inania verba
vertice concusso labefacta mente profudit.
Tunc equitem, peditemque parat, quibus augeat omnem
Celtarum numerum ; tunc aspera navibus implet
aequora, Pisanam quibus est venturus ad urbem.
Ipse autem Italiae decus, auxiliumque cadentis
dux Pandulphiades, sacris de more solutis
Gradivo, atque aliis pius immortalibus, urbem
vestit Arimineam florentibus ordine sertis.
Haud secus ac Lycia rediit cum laetus Apollo,
circumstant pictis Agathyrsa coloribus illum
agmina ; Thebani ceu candida colla Lyaei
umbrant, atque hederae patrio de more coronant ;
tantus amor cunctis victoris et ora tuendi
Pandulphi, et vultus claros ; et verba loquentis
non audire semel sat erat : mens omnibus unum
una oculis spectare ducem : tum nocte vel atra
Ipse subit mentes, et pectora laeta subintrat.
Omnibus ipse locis occurrit ut almus Osyris,
exercetque viros inventus, et alta resultant
flumina cornigeri septem felicia Nili :
"Haud aliter gens prisca virum, Latiique juventus
ad reducem plaudunt vario certamine regem.
Hic alii subito renovant thoracas ahenos,

loricasque graves, clypeos, cristasque comantes.
His ocreae duras includunt undique suras,
lucentesque viros juvat adspectare ; nec umquam
laetior Ausoniae numerus tulit arma superbus.
Infrenant equites alii, phalerisque superbi
insternuntur equi ; tam spicula laevia bello,
ccutaque fida parant ; rauco tum buccina cantu
torpentes animos quondam excitat, atque canora
aere repente feri accendit Mavortis amorem.
Tessera tum signum bello venit una cruento.
Pars arcus, teretesque parant aptare sagittas ;
pars pedibus crudum peronem inducere nudis.
Non illos nati, fidae nec conjugis ignes,
nec maesti multi retinent pietate parentes ;
sed citius jusso saevos bacchantur in hostes,
praecipuique duces studio majore ferantur.
Quos ubi delegit multis a millibus omnes
egregios, tumulo sic est effatus ab alto :
"Magnanimi proceres expertae robora pubis,
eximii bello juvenes, si prisca recordor
proelia, si vires memini, si bella secunda
plurima gesta deo ; nunc nunc vos illius omnes
temporis admonitu demum mea dicta tenaci
figite mente, duces, nec vana pericla timete,
Celtarumque minas : quarum quae copia ? Quanta est ?
Ante oculos sunt, cuncta meos : scio iniqua precari
excidia Hispanos Italis ; quos verba serentes
di magni ! Quanti pendamus ? Verba sed ultra
perdite ne, socii : factis opus ; hic labor, hic stat
gloria, et hic magni magnae virtutis honores.
Fudimus Alphonsi Tyrrhenis agmina campis
plurima nos pauci : vinclis servatur ahenis
pars melior, validaeque manus ; sunt caesa virorum
corpora multorum : victi invictisque minantur
Celtae Italis, quos, summe Pater, quonam usque furentes,
Jupiter alte, feres ? Tibi nos, tibi sacra quotannis,
aeternumque tuis aris renovamus honorem,
nos ideo ut templis cogamur abire relictis,
ut putat Alphonsus, profugos, a sanguine natos
Trojano ? Ausonidas alienis quaerere terris
regna placet Superis ? Igitur Taracona petemus,
Hesperiasque domos, et prodigiosa priorum
litora, Geryonasque alios, armentaque prisca,
Amphitryoniades nostris quae vexerit oris,
fatalem praedam : Latium sic linquimus ; haec est
causa fugae : jam nunc video Pherinanta parentis
haeredem Alphonsi coepto concedere bello.
Quare agite o solitas, proceres, expendite vires,
bellorumque animos studio exercete vetusto.
Cornipedes nunc tempus equos versare tepenti
pulvere ; nunc humeros armis onerare decoris ;
nunc auri, argentique quod est conferre novandis
illicet exuviis. Communia barbara sunto
omnia, quae, socii, campis capiemus Etruscis
arma, et opes." Dixit : socios tum nomine laetos
quemque suo ipse vocans dimittit : at ocius illi

diversas secuere vias ; pars arma requirunt,
pars clypeos ; alii renovant thoracas, et enses ;
illos dura tegit galea, atque insigne comanti
vertice bina tegunt sublata cornua crista :
hos Hydrae facies, illos tegit atra Chimaera,
prima Leo, postrema Draco, media hirta capella,
ardentis vires ignis quae flabat anhelas
Bellerophontea cecidit cum denique dextra.
Illum cerva super conjuncta amplexa puella
cervinum caput est ; illam tremuisse videres,
attonitamque malis voto stupuisse paterno.
Nam memorant, ventos cum jam placaret Atrides ;
ut sua funesto lacerarit viscera ferro,
ut duce rapta dolis variis atque omnibus uso
sub Laertiada miserandis Aulida votis
iret, ut agna tremens balantis ab ubere matris,
quam ferus ablatam pleno detraxit ovili
pastor, et immitis magnam portavit in urbem.
Talis erat Virgo, talem se muta ferebat,
candida ut imposuit patriis vestigia castris.
Horruit adspectu miserandae Virginis heros,
proh scelus ! A vera longe pietate remotus.
Illa autem ignaro coram stetit obvia vultu
hostibus in mediis Priamo miseranda puella.
At pater hoste magis metuendus, ut ipse parentem
exuit, ut Troja posset, Phrygibusque potiri,
sanguine virgineo sceleratas imbuit aras.
Non tulit, ut fama est, positis Dictynna sagittis.
Namque ut saeva manu detexit tela Sacerdos,
infula temporibus postquam circumdata flavis,
flavaque purpureum duplicarunt ora calorem,
lucidaque aethereum micuerunt lumina solem,
supposita rapuit tenerum trans aethera cerva
hanc dea, quam faciens Nymphen, ipsius et altos
jussit adire choros, numeroque adjunxit, et aevum
immortale dedit silvis agitare profundis.
Virginis effigies ipsius, et ardua cervae
cornua caniciem pravi texere Seneuci
insignis lingua mordaci, informis ad unum :
cetera calvus erat ; foedi rubigine dentes,
lumine captus erat dextro, et cervice recurvi
ipse humeros supra caput ostentabat iniquos,
altera curva pedis claudus vestigia flexi ;
Pannoniumque senex furiis ardebat ephebum,
qui tamen aethereas sic est effatus ad auras
vociferans : "O magnanimum gens prisca virorum,
Ausonidae magni, quae vos dementia vano
Sismundo parere jubet ? Quae insania mentes
praecipitat ? Quis tantus adest furor omnibus, ut vos
unius imperio terras linquatis avitas,
antiquasque domos Alphonso praeda futuri
magna, viri ? Retinete gradus : si regna movent se,
ipse eat, adversumque vocans in proelia regem,
aut ipsum Pherinanta, alios sinant esse quietos.
Scilicet ut primo Latii potiatur honore,
indecores alii campis sternemur Etruscis ?

An nos, ut regnet, crudeli opponere leto
audeat, o miseri, toties ? Si fama moveret,
si pietas animum, nostri virtute superbus,
inque solens numquam vacuas tot civibus urbes
Hesperias tanta vastasset clade, nec arva
ossibus alberent primo Populonia bello.
Ipse suum jam tum pro caris corpus Etruscis
projicere optasset, fatumque in dulce ruisset.
Quod si quid magnum propriis tamen incipit armis,
non venit haec virtus patriae sine vulnere nostrae,
Italia et tanto curvata est pondere facti.
Quare, agite o, solum cuncti linquamus, et ipsum
vadentem, et frustra bellum crudele gerentem,
norit ut infelix quantum praestamus et ipsi.
Ille quidem nostro per magna labore superbus
ora virum fertur vario sermone loquentum :
nos autem nullo viles cumulamur honore,
obscuraeque animae, nulli, ignotique latemus
caedibus in mediis, quoties conteximus ipsum
avulsum cupidis de faucibus hostis ; ovantem
fama refert toties magnas fudisse catervas,
hostilesque manus : haec sunt, quae praemia reddit,
haec Pandulphiades pro magnis munera factis.
Praeterea si raptus honos, si gloria nulla
redditur ; insignes opibus Pandulphius heros,
divitiisque suos reddet, qui ne Arce, quod usquam est
auri, atque argenti, patria custodit, id inde
eximet, ut ditet proceres, sociosque Latinos.
Non ea libertas Italis, non illa laborum
praemia. Num satius fuerat servire tyranno
Hispano ? Aut extrema pati, quam perdere nosmet
inter nos ? Si fata jubent regnare tyrannos
externos, regnent : Itali stent rege sub uno,
nec Pandulphiadas in singula sceptra vocatos
tot reges habeamus, et hunc spoliemus et armis,
aequalemque aliis reddamus ; abite phalanges
magnanimum Ausonidum ; regi, quemcumque deorum
fata ferant, parete Duci ; nec corpora ferro
perdite, nec vires patrii divellite census.
Viderit Alphonsus fuerint quicumque nocentes,
qui veniam cunctis indulsit civibus altae
Parthenopes quondam victor, finemque malorum
invenient Itali demum." Sic fatus, abortis
ora rigans lacrimis odio surgente quievit
cunctorum, Pandulphiades quem sprevit, et extra
castra jubet caesum duris depellere virgis,
nec cessat mandare viris, aciesque recenset
distinctas numero, fulgentiaque induit arma ;
arma quibus Latias solus servaverat urbes,
immortale Patri donum, et mirabile visu,
quae dedit Armipotens miris ardentia signis,
loricam, et thoraca gravem, galeam, atque cavatas
dulce decus suris ocreas, clypeumque micantem,
ingentem clypeum, centum quem Gorgonis angues
cingebant, varioque metus horrore ferebant.
Orbe sedet medio Discordia ; cujus Erinnys

stat soror ante oculos, sequitur quam dira Megaera ;
impia Tisiphone vocat atra ad bella sorores
sanguineam ante ferens, visu miserabile ! caedem.
Hic insanus honos, et pulchri gloria leti ;
sidera praeterea claro fulgentia caelo,
Oriona simul violentum, Arctonque lavari
nescia ab Oceano, tenuem quae circuit axem ;
septenos orbes explent septena rotatis
errabunda polis adverso sidera caelo
cursibus adsiduis, nec non et laetus Apollo
in medio circum dulci sonat omnia cantu ;
atque a Saturno tacitam sonus usque Dianam
adstrepit, atque modis Superos exercet acutis.
Inde duas urbes vario sermone videres
discordare sonis inter se, illamque vigentem
connubiis, juvenumque choro ; Nymphasque maritis
jungere spectares flammis hymenaeon hiulcis,
tum Patres circo in medio, justumque Senatum.
Illam autem circum variis exercitus armis
instructus late surgebat honore jubarum
ingenti, et clypeis fulgentibus aere decoro.
Urbis habent muros matres, puerique, senesque,
moeniaque alta tenent ; tum fortibus inclyta circum
moenia diffusis comes est Mars, atque Minerva :
aurea utrique nitet facies, nitet aurea utrique
vestis, uterque deum se monstrat ; utrumque coronant
agmina magnanimum subito clamore virorum :
ut tuba ventivomis praeconibus aethera rauco
rumperet aere, viros cum Martis ad arma vocaret.
Illam autem circum laetis pax plauderet alis
exoptata diu : multis hinc findere aratris
tellurem agricolas, incurvaque tendere colla
cornifidosque boves, Cereremque insurgere laeta
arva super, plenoque viris stat copia cornu.
Talia erant clypeo divum immortalia dona.
Hunc Pandulphiades humero suspendit honesto :
aethera complevit nova lux, omnisque repente
arrisit tellus circum, et loca proxima laetam
spem dederant Italis : tanto fulgore nitebat.
Qualis ab oceano consurgens Phoebus Eoo
jungit equos larga confundens lampade terras,
tum stellae splendore novo latuere minores ;
talis erat patriis fulgens Pandulphius armis.
Extulit his patria circumdatus arce repente
signa manu, belli vexilla superba, Quirites
quae misere patres victori, ubi marte superbo
Asculon antiquam Romanae reddidit urbi.
Tum procul horrifico strepitu cava concha tremendum
rauca dedit sonitam, crepuitque per aethera clangor.
Continuo perculsi animi, cunctique Latini,
cuncti Itali subito conjuravere tumultu.
Ac veluti Hadriaco consurgunt gurgite fluctus
innumeri ; totum fervet mare, vasta que surgunt
aequora ; sic Itali Tuscas densantur ad oras.
Est locus, unde caput celsa prorumpit ab arce
Hesperidum late rector Tiberinus aquarum,

unde rapit cursus Alpheas Arnus in oras,
et qui Arimineam pronus fluit amnis ad urbem.
Hunc penes Hadriacas decurrit Sapis in undas.
Hac Itali primum densis venere catervis.
Quos Apennini cum vertice adesse furentes
accipiunt Celtae, variis dant pectora curis,
atque aegris stupuere animis et regia proles
Alphonsi Pherinas, turbatique omine Iberi :
quos inter dictis Tagus haec est fatus amicis
consilio insignis, sed non Pherinanta potenti
aequabat dextra ; sumptis tamen utilis armis.
"Audite, o Pherina, nec non Taraconia pubes,
atque alii proceres, jam nunc mihi recta monenti
magnanimi parete duces, neu tarda morantes
aurora inveniat Tyrrhenis crastina campis ;
sed cuncti ad naves mortem fugiamus acerbam.
Dum fortuna Deum, superum dum fata sinebant,
tum certare manu, tum me bellare juvabat :
nunc autem, imparibus quoniam concurrimus armis,
Sismundum nobis notum, sociosque tremisco.
Sismundum ante alios quanto se corde Latinis
praeferat, atque neget Latio consistere Celtas,
experiuntur ubi vires Mavortis Iberi,
Ausoniique simul, pro quo tot bella, tot arma
saepe movent populi frustra, indefessaque bellis
Italia est, durumque genus, gaudensque laborum,
invictumque animis, laetum ductore superbo.
Quem Fortuna virum rebus si forte secundis
extulerit, quae terra duces, quae litora Celtas,
aequora quae capient ? Ubinam locus ullus Iberis ?
Quae regio ? Quae fida domus ? Veniam ille precanti
cesserit Alphonso ? Sine me, genus inclyte regum,
haec sine me, Pherina, communes ferre per auras
invidia quae verba carent : parete monenti
vera Tago, si justa precor ; tutamque petamus
Parthenopen, dum fata sinunt, dum Jupiter ipse
non vetat ; aegri animo quamvis cedamus Etruscis
incolumes campis ; numquam dejecerit arces,
Parthenopea, tuas ante hic quam paverit albos
ipse canes, dederitque avibus quam tristibus escas."
Sic ait : huic contra Pherinas ita turbidus infit.
"Infelix animi, cunctorum ignave virorum,
vane Tage, insignis lingua ! Dum Marte secundo
est opus, et praesens vocat in certamina Pallas,
tum tibi larga quidem virtus, linguaeque potestas
promptior adsueto ; sed cum nec bella parantur,
pace bona fruimur dum lenti, proelia primus
poscis, et egregiis circumstrepis omnia verbis.
Ne pedibus, ne quaere fugam, aut si concipis hostem
adventare, late tenebris, et nocte tua sta.
Me sine cum sociis cunctis obstare Latinis,
ingentique manu paucos prosternere Lydos,
Sismundumque, putas quem non superare Deum vim,
vimque hominum totam : sed enim mortalis et ille est,
ille manus igni similes, ferroque calenti
ille animos quamvis, contra bellare parabo :

Mars communis enim, et variis fortuna sub armis ;
esse bonus didici quando, ne finge timorem
hunc mihi, neu sociis curas injunge molestas."
Sic ait, obscurisque fremens se condidit umbris
nocte fere media. Cererem sumpsere per herbas
effusi virides Celtae : pars cetera servat
excubias ; alii somno dant membra fluenti.

## LIBER DVO DECIMVS

H_12 Postera frugiferis revehebat lumina terris
Aurora, et roseo lustraverat aethera curru :
nec minus Ausonidum ductor fortissimus arma
induit, irarumque animis permittit habenas.
Comparat haud natum genitori, ipsumque videre
jam Pherinanta cupit, victum quem concipit iri
congressu primo. Veluti cum se excitat ira
ille leo infrendens, et acerba tuetur et altum
exsuperat nemus incursu, magnoque tumultu,
eximium quaerens monstrantem cornua taurum ;
haud secus Ausonidum ductori fervida gliscit
ira super magno Pherinante, minorve fatigat
cura virum, virtusque ferox. Tum signa revelli
imperat aerio de vertice montis, et hostem
pergit in oppositum : septem tum deinde diebus
fecit iter contra Celtas ; quos ipse videre
ut primum potuit, laeto sic incipit ore :
"Cernitis hinc acies, et barbara signa, Latini,
argento, atque auro, fulgentesque aere cohortes,
divitias regum, populis quae debita nostris
praemia ? Finis adest, variorum et meta malorum,
quae patimur toties. Tuscas bis perfidus urbes
obsidet Alphonsus violato foedere divum,
qui nunc crudeles sumunt ab sanguine poenas,
et scelus infandum nostri virtute reposcunt ;
qui mentem Celtis avertunt funditus, ut me
optato exspectent campo. Di qualia nobis
gaudia ? Quos animos jam nunc mentemque dedistis ?
Praeterea si nulla Deum sunt numina, nulli
si curant terras Superi ; quod non. Reor ; ipsi
non cedent Celtis Itali, quos ipse tot annis,
tot bellis docui justi non cedere pugna.
Quisquis terga dabit non est Pandulphius ; illum
ut Celtam densis, Itali, perfigite telis."
Dixit, et adversos se concitat acer in hostes
agmine praerepto, montemque elatus in altum
spumivomo prorumpit equo, atque hinc omne tueri
Ausonidum genus, atque acies spectare Latinas
fas habet ipse suo, quas ordine singula circum
instituit auxilia, et tironibus arte locatis
prima rudimenta aptavit ; nam cetera magno

sponte duci paret gens Itala. Nec minus hostes
adventare vident Sismundum, instructaque longe
agmina, magnanimosque duces, missamque sub armis
Ausoniam, adtonitique animis languentibus omnes.
Namque Italum ductor, Pandulphi maxima proles,
quemque suo parere duci praeceperat : ergo
omnibus unus amor bellandi, atque omnibus ordo
unus, et instructi numero, spatioque locati
ibant, et sese magna virtute ferebant.
Omnibus arma novam fuderunt splendida lucem.
At Celtae clamore novo, tristique tumultu
infremuere, gravique animos formidine lassant ;
nam neque mos, neque lingua eadem fuit omnibus, orbis
diversis quoniam venerunt partibus illi.
Tum circa Pherinanta duces quicumque volabant,
ardentes Celtae festina feruntur in arma,
atque odere moras omnes : ceu turbidus Auster
imbribus horrisonis oneratus terga, frementi
sub Jove nubiferos glomeravit ab aethere nimbos,
condensantur ubi nigro cava nubila caelo :
tum Zephyrique, Notique tonant, tum frigidus urget
aethraeus Boreas flabris animosus hiulcis.
Hic quae prima manu, quaeve ultima corpora ferro
fundis humi Pherina ? Primum tu sternis Adrastum
ense gravi, fortem Peliam, fortemque Melanthum,
et Rutulum, Melanippe, tuo de sanguine cretum,
et magnum Periphanta, Chromyn, Rhodiumque sodalem
Ampycide carum : quem postquam maximus heros
dux Pandulphiades vidit sine more furentem,
miscentemque acies, et prima in bella ruentem,
non tulit ulterius juvenem turbare maniplos
Ausonios, validaque volans micat obvius hasta,
infrendensque gravi cum murmure, fortibus acrem
pressit equum pedibus, saevumque effertur in hostem
increpitans : "Quid tela manu, quid vilia fundis
pectora ? Sismundum, si te victoria tangit,
ne fuge, neve patri nota haec certamina vita.
Aut Regnum Italiae sumptis quaeratur in armis,
aut tibi dulce decus leti per vulnera nostri."
Dixerat. Ille viri voces, horrendaque verba
accipiens, rapido vertit vestigia cursu.
Hic medio in cursu, validam Pandulphius hastam
forte ferebat uti, medium transverberat armum
Hippotrochi, et totum clypei cum parte lacertum
dejicit oppositas studio connixus in herbas.
Sanguinolenta manus clypeum decisa retrectat,
ignarique tremunt digiti : jacet ille, novumque
horret equi strepitum, laxis qui fertur habenis ;
inde volans, cursu neque enim tardatus eodem,
robur in adversum dextra contorquet Osirim,
atque hasta durum transit thoraca cruenta.
Labitur ille, gravique ad terram pondere fertur
arrecto revolutus equo, Tanaimque, Tagumque
tum legit ense sequens, sociosque refertur in ipsos.
Ac veluti incurvus Tyrrhena per aequora Delphin
perfurit in pisces alios, celerique fatigat

agmine magnus hians ; fugiunt illi aequore vasto ;
ille vorat quemcumque tulit fortuna morantem.
Procedunt utrimque acies, nec bella potenti
solus agit dextra Sismundus : it obvius hosti
hostis in arma fero, paribusque exercita flammis.
Amborum fervent pro claris pectora factis.
Tum clypeos clypeis urgent, et scuta micanti
aere notant, animosque simul, viresque fatigant.
Qualis ubi summo torrens descendit hiatu
montis iter quaerens, valles intravit opacas,
vertice dejectus nigram petit ipse paludem
turbidus ; obstupuit sonitum quicumque ruentis.
Audiit ; ille caput saxo ter rupit ab altor
talis ubi in pugnam densis concurritur armis,
insequitur longe diversa per omnia clamor.
Haurit Atim gladio Salius, Saliumque Melampus
Celta Italum, longaque virum duplicaverat hasta.
Occidit et Phegeus, casus cui fata marinos
invidere deum, pietas nec prisca ruentem
sustinuit, mediaque miser raptatur arena.
Ingemuit casum socii morientis ut hausit
dux oculis Pandulphiades, et turbidus ira
lumina ter populos ardentia flexit in omnes,
praecipitique elatus equo, quem Phegea juxta
adspicit Orsilochum ferro transfigit acuto :
saeva aquila exsuperat cunctas ut acuta volucres
aut visu, aut celeri dum fertur ab aethere lapsu,
sparsicomi ut vidit latitantem caespite rami
aut leporem, aut cervae catulum sub monte relictum,
fertur ad ima ruens, superasque relapsa sub auras
dat plausum, raptamque refert in nubila praedam.
Inde Midam petit insignem felicibus armis,
ante diu cui nulla sacrum violare potestas
corpus erat, ferroque caput pulsarat acuto
frustra Italum ductor, Pandulphi maxima proles.
Ille autem contra mediis exsultat in armis
nudato capite, et geminatos spreverat ictus.
Obstupuit dux Ausonidum, contraque ruentem
admoto detraxit equo, fluviique sonantis
luctantem manibus liquidas dejecit in undas.
Vi tanta turbati omnes, turbatus et ipse
ante alios Pherinas, nec non Tagus ille, monebat
magnanimum senior frustra qui fidus alumnum ;
clamanti in mediis ensem cui fregit in ore
Narnius adventans, linguaque e gutture rapta
clausit iter voci sanguis pulmone cruento.
Quem postquam foedo lapsantem pulvere vidit
dux Alphonsiades, vacuas ita fatur ad auras :
"Jupiter alme Deum, libat cui Graia juventus,
cui Dodona malo deponit frigore frondes,
cui Selli incultum genus aras tollere agresti
caespite, humi soliti sacris gaudere jacentes,
quorum ab stirpe Tagus jactat se, et sanguine cretum,
da, Pater, incolumem media subducere pugna."
Sic ait : ille preces partes divisit in ambas ;
tolleret ut corpus pugna permisit ab atra :

esset ut incolumis voto negat ipse nefando :
hoc dedit, hoc juveni Divum pater ipse negavi ;
ergo animis elata phalanx tela undique contra
Ausonios fundunt Celtae, multoque repellunt
aequore, dum corpus media miserabile pugna
eripiunt. Tum vero ingens ferit aethera clamor
lugentum juvenum, magnoque dolore querentum,
ut videre senem, demissaque lumina leto.
Praecipue Pherinas, longaevi dulce magistri
obsequium quoties Patri laudisset, id omne
venerat in mentem, magnas dat voce querelas :
"Quin ego in Alphonso fatear genitore dolendum
esse magis nunquam ; nunc nunc dolor altus ad ossa,
nunc et amara meum turbarunt vulnera pectus."
Sic ait, efferrique jubet miserabile adempti
corpus inane Tagi, rursumque in bella superbus,
aeger, hians animis, redit imperterritus, atque
versus in adversum laxis Thrasymedon habenis,
quem ferit, extremoque sedent qua proxima ventri
ilia, direptis solvit compagibus alvum.
Viscera fluxa viro terra cecidere cruenta.
Hic Itali, Celtaeque fremunt, densaeque feruntur
parte ab utraque acies ; hastis nec currere longis
amplius, aut celeres juvat hos torquere sagittas ;
sed gladiis, clypeisque sonant, pedibusque pedum vis
stat glomerata virum, totoque sub aethere reddunt
arma gravem sonitum, et longe quatit omnia murmur.
Erumpunt Itali tandem, Celtasque retudunt
praecipites, retroque gravi clamore ruentes.
Haud secus Hadriacas impellit corniger undas
Eridanus, latoque furens immittitur alto,
albescit longe liquidarum sulcus aquarum.
Stabat in Ausoniis acies pulcherrima turmis,
quam ducebat Ares Picentibus editus oris
insignis forma juvenis, fidusque potenti
Sismundo, egregiusque animi virtutis avari.
Hunc Pandulphiades primos immittit in hostes
cum sociis, equitumque manu : volat ocior aura
ille levi, latoque ruens trahit agmina campo,
incola Taygeti montis cui fortis Orestes
obvius it vastis Graiorum maximus armis,
praecipitemque virum media prosternit arena.
Ille manum intendens fidos orabat amicos,
et Glaucum magna clamabat voce sodalem.
"Glauce decus nostrum, nunc te, fortissime, tandem
pugnatorem invictum oculis da cernier ipsis
Celtarumque, Italumque, precor, meque eripe fato
seminecem infando primum, cunctosque vocato
huc Italos, et tu contra mea fata repugna."
Sic ait ; ille quidem vellet succurrere amico ;
sed jam fessus erat victoris vulnere Rhoeti
cernuus, infractaque humero defecerat hasta.
Ergo saevus Aren horror cingebat acerbae
mortis, et huic oculos nigrae texere tenebrae.
Quem postquam Ausonidae senserunt marte relictum
Celtarum in medio, cuncti densantur eodem

unanimes, Tyrrhena phalanx, Ligurumque juventus,
Flaminiique truces, et Graiae Alpheidos alae
urbis, atroxque manu Sismundus, et agmina acutis
agglomerant sese cuneis, postremaque primos
pectora densa viros urgent, campique repulsis
arripiunt partem Celtis sudore cruentis
vulneribus salso mixtis : dolor arma molesto
pondere formidat, socium subducere Celtis
dum certant ; equus acer Aren conculcat Abantis
Hippocorysthiadae : socii legere jacentem,
foedatumque oculis clypeo posuere relicto.
Hic Dea, gorgoneos quae substinet aegide vultus,
dat vires, animosque viris, et vocibus omnes
suscitat Ausonios in bella, superbaque facta.
"Nunc nunc o Proceres durum pugnate Latini,
subtrahite Italiam populis, et dulcia regna
externis, finemque manu reperite malorum !
Non Europa Asiae bello collisa bilustri
funera tot Phrygibus Trojano in litore misit,
Hesperios quot caede viros Mars ipse cruentis
Celtarum manibus stygium demisit ad Orcum.
Quare agite unanimes una concurrite pugna,
neve referte pedem, sed contra audacia cuncti
qua vocat et virtus cuneis in rumpite densis."
Fatur, et ardorem cunctorum in mentibus unum
jecit, et aethereo Dea magna refertur Olympo.
Tum vero ingenti clamore phalanges Iberae
obsistunt, retroque gradus invita reflectunt
agmina, nec tergo, sed verso pectore in hostem.
Pars labat adspersis crudele cruoribus herbis ;
illi crura suo calcantur ab agmine ; at illi
prolapso caput hostis habet, nec surgere cuiquam,
nec reparare licet vires, animumve cadenti.
Impellunt Itali : Sismundus Abanta superbum
dejicit, et Peliam, Taracon quem misit in arma.
Euryalum Pherinas jacta transverberat hasta
turbidus, et magno spoliorum incessus amore
Ausonidum : tum Taygetis quem montibus olim
nympha tulit partu pastori Chloris Amyntae
sternit humi ; Bromiam ipse ferox, quem forte tegebat
laena rigens auro, petit improbus ense micanti.
Quem furere ut vidit tanto terrore per omnes
dux Pandulphiades magna grave concitus ira,
indignatus enim contra volat obvius, armat
arma terens Italum : timuit Taraconius heros,
immiscetque suis se longa per agmina Celtis.
Ac velut acer oves tacitas lupus ille trucidans,
in medii agnoscit venientem caede molossum,
ariete dejecto fugiens dat terga sequaci
usque cani, trepidumque ruit, trepidumque tremiscit :
hic tibi summa dies, juvenis memorande, fuisset,
Incolumem ni te servasset magnus. Apollo,
qui nebulae ingenti pavidum circumdedit umbra,
ardentes quae texit equos, et barbara signa.
Ille dolos Superum incusans : "Quid, Phoebe, latebris
occultas Pherinanta, Deum saevissime, dixit ?

Nec plura : infestos se concitat acer in hostes
terribilis visu, validam vi turbidus hastam
ipse ferens prae se magna comitante ruina.
Perfurit in Celtas omnes ; genua aegra resolvit
his, illis caput est ferro populatus acuto.
Tunc Ararim, Fabarimque manu, flavumque Dimanta
sternit humi, ac Peliam Chritei de gente vetusta,
Maeoniumque Gyan, et suetum Phyllea silvis,
Phyllea, Dardaniae quem non valuere phalanges
sternere ubi triplici surgunt Byzantia muro
moenia, Sismundo servabant fata potenti.
Haud indigna quidem, sed enim durissima, Phylleu,
fata oculos texere tuos, quando ense superbi
occidis Ausonidum ductoris : honore supremo
morte tui contentus obi ; non te ultimus Orco
Ausonidum mittit Stygio, sed maximus heros
dux Pandulphiades : hoc te solabere ademptum,
hac mercede polos Stygio mutabis Averno.
Talia dum campis fervent mavortia Etruscis
proelia, Caelicolae medio sedere sereno
aetheris, ante deos Genitor cum talia fatur :
"Abnueram Alphonsum Tuscos invadere fines,
Lydorum et terras iterum tentare quietas.
Quae belli, quae causa mali, quae tanta cupido est
imperii ? Quae dira sitis ? Cur bella resumit
impatiens pacisque bonae, regnique quieti ?
Quid populos vastare juvat ? Nam filius olli
paret, et imperio cari genitoris inhaeret.
Non odi Pherinanta equidem : parere parenti
fas natum ; sed vota movent me justa precantum
Italiae non vana virum. Si multa dabamus
regna, quid Ausonias populat cum caedibus urbes ?
Numquam animum nobis dapibus Tyrrhena carere
gens perpessa, deos opulis fraudavit amicis ;
nam Superi tales soli sortimur honores.
Quare ego, recta pios quoniam mens aequat Olympo,
eripere Alphonsi statui de faucibus omnes
Maeonios, rursumque fugae vi tollere regem."
Dixerat : huic contra fatur dea candida Juno.
"Quid reges, regum genitor, carissime conjux,
exscindis ? Quae causa odii crudelis iniqui
tanta movet mentem magni Jovis ? Aut tibi quaenam
Ausonidum cordi est victoria ? Cur magis aut hos,
aut hos, dure, minus curas ? Quin linquis habenas
Fatorum sorti ? Vincant quos fervida virtus,
aut sua dextra juvet, validaeque in corpore vires,
atque animus praesens in pectore. Lydia quondam
gloria, quam memoras, tali virtute jugosos
Tyrrhenum fines, quali Taraconia pubes
Parthenopen, aliasque urbes, atque Apula regna ;
et circum tibi sacra pii versantur Iberi."
Dicenti placido respondit Jupiter ore :
"Haud ideo fortem Sismundum vincere certo,
ut nunc pluris ego hunc faciam, quam cetera regum
nomina, quam Celtas Italos magis ipse rependam.
Verum ita nunc facto nobis opus : hoc ego dudum

certus ago ; humanos cogor quoque cernere casus.
Nam super ingenti Sismundo facta deum rex
molitur majora, decus quando omne Latinum
reddidit Ausoniis. Ductorem fata Latinum,
sic Parcae statuere, legunt, qui solus Achivos
protegat, et veteres tueatur viribus Argos."
Sic ait : huic contra conjux pulcherrima fatur.
"Sic vincat Celtas jam jam Pandulphius heros,
cedo equidem, patiorque libens ; neque enim ulla rependes
post majora mihi pro magnis gaudia curis,
quam sinere Ausonias in pace reponat ut urbes,
nec non Dardaniis Graios defendat ab armis ;
qui nunc, proh Superum genitor ! Quae funera, quantas
heu passi strages ! Graium tot millia leto
infando demissa virum ; quin ecce trecentis
navibus ire Samon properant, fervetque cruentis
longa Propontis aquis : nunc nunc Priameia surgit
Troja mihi : quid me curru bellasse volucri
profuit ? "Haec dicens Dea caelo magna relicto
labitur, aeriamque vocat de nubibus Irim.
"Iri, tuis varios humeris infusa colores,
Iri, vola, tumidosque refer, dea, nubibus amnes,
et suspende fretum, caeloque inverte sereno
nubila : nunc Hyadas, densisque Oriona nimbis
auxilio pronos, totumque exposce Tonantem.
Nunc age praecipitent omni de monte ruentes
in mare spumigerum campis stagnantibus amnes.
Sic neque bella gerent, neque sic pugnare licebit ;
umbrabuntur enim telluris, et aequoris orae."
Sic ait, et magno Dea magna refertur Olympo.
Interea Ausonidum ductor Pandulphus Iberos
sternit, et invicta leto dat fortia dextra
corpora, sanguineisque fremens exsultat in armis.
Contra autem Celtae multo sudore resistunt,
immiscentque minas, et tristia verba remittunt ;
ast Itali ferro certant, et fortibus armis.
Hic ferus Haemonides, belli dum detinet omnem
saepem armis, Celtas subito spes excitat ingens.
Ille quidem ante alios animis, et viribus unus
praecipitans, quacumque viam victoria monstrat,
ibat in Ausonios, magnoque favore ruebat,
unum te, Sismunde, fuga cunctantibus altis
devitans oculis. Veluti trahit ille leonum
maximus armenti pecus omne, canemque cruentis
dentibus agnotum cernens, vestigia retro
fessus anhela refert : cuncti simul inde secuti
pastores, juvenumque phalanx ; sed nulla fatigant
bella feram, quantum canis asper, et ignea noti
vis inimica pedis : tali fortissimus armis
Haemonides virtute viros se mittit in omnes ;
per cunctos sumptis Italos invaserat armis :
ter praevisa cavet Sismundi bella potentis.
Verum ubi praecipuum signavit ab agmine certo
lumine dux Italum juvenem in certamina solum
poscit, et ante oculos animo indignante reducit,
dissimulans, simulansque iterum : quater agmina Iberum

dispulit in diversa ; quater fumantibus arvis
flexit equum ad socios, Tyrrhenorumque phalangas.
Dumque fugam simulat, metuendae nescius artis
Haemonides sequitur fugientem : ille ocius acri
vectus equo praeceps gyrum se vertit in arctum,
et medio in cursu venientem decipit hostem.
Ac velut ille sacer, sequitur quem rauca volucris,
aethereas praedam circumvolat ales ad auras,
nunc liquidum deradit iter, nunc aethera pulsat
plausibus ; instat avis rapido importuna volatu ;
ille ubi tot vitasse vices, tot in aere gyros
circumflexe piget, victam rapit unguibus uncis
luctantem, ac miserum rauco clamore gementem :
haud aliter dux Ausonidum Pandulphius heros
occupat incautum mediis in cursibus hostem,
pectus in adversum totum cui fervidus ensem
condidit, et costas duplicato vulnere rupit :
corruit, et vasta strepuerunt arma ruina.
Tum vero Ausoniis animum decus extulit ingens ;
tunc hortantur equos ; tum se mirantur in armis
clamore horrifico. Ceu plena cadentibus haedis
flumina rauca sonant, cum Jupiter humidus imbres
arce quatit caeli multi, magnoque fragore
flumina praecipiti demittit ab aethere dextri.
Dant igni signata viam loca lucida flamma
sulphurei, et late magnus rescindit Olympus :
talis in adversos heros Pandulphius hostes
aestuat ingenti furiarum flumine, et ira
ante volans : dant arma viam, Celtaeque labascunt.
Quis numeret caedes ? Quis nunc tot acerba virorum
funera, Musa, satis divinis explicet umquam
quae mihi carminibus ? Si stet vox aerea vati
omnia sanguinei referam non proelia Martis,
non strages, obitusque virum, quos barbarus hostis,
quos Italus Stygio victor demiserit Orco.
Sit satis egregias heroum attingere laudes.
Ergo ubi letiferis Mavors alternus habenis
flectit equos, clypeoque tonat, quem vertit in illos
nunc, et in hos, campi toto desaevit Erinnys
aequore, nunc Italos victrix, nunc turbat Iberos.
Condidit umbra diem telorum, et nube canora
ingruit aethereas stridor geminatus ad auras.
Nulla mali facies aberat volitantibus hastis.
Ac veluti silva in media cum frigore primo
autumni folia alba cadunt, ubi inhorruit aether
ventorum incursu, pavidis cum corda rigescunt
agricolis, totasque tegunt jam nubila terras ;
nec jam culta boum apparent, nec facta virorum :
talis erat magnae facies durissima pugnae,
nec strepitu obscuri tanto Jovis ira Ceraunos
saeva petit, scopulos caelo cum saxa refuso
delituere, micantque abrupti nubibus ignes.
Usque adeo obnixi contra Taraconia pubes,
Ausonidaeque animis non cedere ; cominus armis
arma terunt cuncti, via nec stridentibus hastis
ulla reperta ; manus manibus, tum pectora miscent

pectoribus, ferroque secant luctantia colla.
Diripiunt hi frena feris, et equina relaxant
ora manu ; stridunt thoraces, et horrida cristis
cassida, nec voces fesso de pectore tractae
exsuperant strepitus armorum, et ferrea Martis
murmura ; ceu quondam silvis sonuere profundis
flamina navifragos pelago portantia ventos.
Hi pereunt galeis salso sudore repletis,
illis fessa negant gressum genua, atque tumultu
in medio exanimes densa inter tela labascunt :
nec jam saxa volant, nec jam lentatur in hostes
arcus, et aethereas it stridula cuspis in auras ;
sed clypeas clypeo, galeae galea alta recumbit ;
diripit arma viro vir cominus, et quatit arida
ora sitis, siccasque regit spes improba fauces.
Tum Pandulphiadae tandem, Latiique juventus
agmine sic denso obsistunt : Sismundus ovantes
Ausonios cogebat agens stragemque, metumque
hostibus ; erumpunt Itali, nec tela, nec hostes
arreptas prohibere vias, sed cedere verso
ordine, et Ausonidis dare terga sequacibus. Otrim
Boebius obstantem longe, longeque frementem
sternit humi ferro, nec non Peliamque, Thoumque ;
Fanius Euryalum, Ciconum Pandulphius heros,
et Cromyum, et frustra minitantem dura Podarcen.
Ac velut in segetem stat messor. Avarus acervo
culmorum ante pedes acto, procumbit arista
omnis humi, et late languentia colla reclinant
gramina, frugiferisque ceres jacet arida sulcis ;
jam Pherinanta manu, jam tum stravisset Orontem,
magnanimumque Tolam, nisi jam Thaumantias Iris
turbine praecipiti magnum fuscasset Olympum.
Ipsa memor jussi, nimbos in nubila, et imbres
stellanti collecta sinu, quae flumina dudum,
quos biberat fontes, quae stagna, lacusque vocarat
solvit agens subitam tempestatem horrida tristi
grandine, caeruleasque quatit dea turbida nubes.
Obstupuit subita turbatus imagine caeli
mutati Pandulphiades, Superosque repente
adfatur : "Quae tanta Deos injuria nostra
movit, ut Alphonsi fluxas res protinus imo
adspiciant fundo ? Bis jam, Pater optime Divum,
eripis invisos leto bis denique Iberos."
Dixerat ; et jam tum pronis de montibus amnes
praecipitant, camposque tenent ; telluris egenos
provehit unda viros : tantus se fuderat imber,
tantum ventus aquae pluvio spirarat Olympo.
Pars natat ignotis elata sub aequora silvis,
arbore pars capta subitis stat fortiter undis ;
ac veluti innumerae fluvio cum forte locustae,
dum fremit in ripis furor ignis, et alta per herbas
flamma ruit, celerem saltum dant ocius omnes :
tum Pherinas celerans montes secessit in altos
non sine clade virum, quos unda voragine vasta
in silvas, in saxa prius, quae flumina numquam
pulsarant, protraxit, equosque, virosque coercens

semianimos ; agnovit enim, sociosque vocavit
dux Pandulphiades : "Gressum revocate superbi
Italiae populi, Martis densissima saepes.
Sic supero sic dulce Jovi, magnisque repente
sic visum Superis ; pereunt Pherinanta volentes
incolumem ut servent." Sic fatus, Etrusca revisit
oppida capta prius Tyrrhenis plurima campis,
et Foliana capit dejectis moenia Celtis,
quae satus Alphonso Pherinas jam milite forti
muniit, ut dubio possent defendere bello.
Una Vadae in Tusco Celtarum litore moles
structa manu ingenti, lato circumdata muro,
et pelagi fluctu circum grave saepta frementi,
restabat magno Sismundi addenda labori.
Hanc animis magno trepidabat Etruria motu,
tutus in hac ingens esset quod portus arandis
opportunus aquis, cuperent seu currere contra
moenia Graiorum, Pisasque urgere vetustas,
sive tuas pelago, Populonia, reddere praedas.
Auxilii quod erat, restabat navibus omne
Alphonso, quidquid marte superarat acerbo
jusserat extemplo validas supplere triremes.
Ergo aderat portu collectum robur Iberi
nominis, et parvam complerant viribus urbem.
Hanc quoque Sismundo misit Tritonia mentem,
ardua terrificis quassaret moenia saxis,
atque aditum ratibus lato prohiberet ab alto.
A tellure tonat projectis aerea saxis
machina, multifrago quae verberat aethera cursu,
pulsat et ante sonum revoluto moenia saxo,
propter aquam vastos librat ballista molares.
Tollitur in caelum lapis editus, inde repente
ocior in medias elabitur improbus undas.
Hac prohibere rates visum est ratione molestas,
hac penetrare via dejectis moenia muris.
Hic ut prima ratis prono fugiebat ab alto
vertitur, emisso defecit in aequora saxo,
ejecitque viros, mediaque insedit arena.
Tum vero Celtas subitus timor occupat omnes,
nec reperire viam ratibus, nec pandere portas
amplius, aut Italis concurrere cominus audent ;
adservant tutis sed propugnacula telis.
Narnius interea bellum crudele lacessit,
irritatque viros verbis : "Taracone profecti
Italiam pugnate viri ; quid turribus altis
adstantes, bello totas non funditis iras ?
Quo fugere minae vobis, et inania dudum
verba, leves Celtae ? Quo summa potentia regis
Alphonsi ? Pherinas ubi nunc ? Cur liquit amicos ?
O miseri ! Queis nulla fugae fiducia, nulli
sperandi reditus ! Veniam Pandulphius heros
ni dederit, pontumne viri, terramne petetis ?
Heu miseri, quos non campis Mars asper Etruscis
miserit ad Stygias Erebi implacabilis umbras,
quos insana fames, et amor tam longus edendi
alligat ancipiti parva intra moenia fossa !

Non, si sponte aditus pateant, intrabimus alta
moenia, nec portis urbem capiamus apertis :
Marte placet celsas duro conscendere turres.
Vos canibus dare frusta feris, avibusque cruentas
obscaenis escas ; magno vos spargere ponto
incurvis pelagi laniandos piscibus omnes
decernunt Itali. Vos hac defendite vestra
moenia spe, Celtae ; vos hoc, o barbara turba,
omine jam dudum magnis certate Latinis."
Talia dicenti, verbisque immane minanti
rapta manu Peliae liquefactum fistula plumbum
ferrea sulphurea jaculata est concava flamma.
Fulminis acta citi glans more per aethera lapsa
praevolat, et fragiles incognita dividit auras.
Sulphureos vix ille globos, et pulveris umbras
viderat infelix, haesitque in pectore plumbum,
lumina conlapso nigrae texere tenebrae,
liventesque genas infecit pallor, et ungues
purpureos quondam ; corpus calor ipse reliquit.
Quantus apud Thebas horrore tonantis Olympi
magnanimus Stheneli genitor cadit, atque corusci
nube Jovis fulgens muris ruit actus ab altis.
Te Pandulphiades flevit, fortissime Narni,
Picenique duces, et amoeni ripa Metauri ;
praecipue Pandulphiades Sismundus, ut illi
nuntius adtonitas implevit certior aures,
talia suspirans imo qui pectore rupit.
"Non haec, o Narni, fuerant mea jussa, nec olim
ista dabam praecepta tibi ; certare caveres
me sine : sed quoniam mihi te parere vetabant
fata semel, miseram potuisti ponere vitam
litore Tyrrheno : pro raptis, optime, terris
occidis, et pulchro gaudes occumbere leto.
Haud impune duces Celtarum, et barbarus hostis
ista ferent, Nami ; neque erit mora longa, neque ulla
arte fugam rapient, jam jam cum saevus ad unum
exscindam, atque viros tota cum stirpe revellam.
Interea, o juvenes, crudeli caede peremptum
tollite, et ignarum feretro componite corpus."
Sic ait, et lacrymis perfuderat ora decoris,
luctisonoque novum regemebant castra tumultu.
Nec minus ipse viros armari in bella jubebat
vociferans, scalisque aditus in moenia dura
moliti hortatur pugni, turrimque propinqui
materie praebente modum jam robore firmo
compactam, et trabibus contextam grandibus instat
erigere, et vacuo subitis educere caelo
viribus. Adcingunt magno Tyrrhena labori
agmina praeduri collectum robur agrestes,
caespitibus mixtis jacti tellure minacem
protinus in molem, celsas quae desuper arces
despiceret, Celtasque sua statione moveret.
Qui simul ac summis viderunt moenibus altum
surgere molis opus tantae, caelumque tot aspris
umbrari trabibus, glomerataeque aggere terrae,
diriguere, animisque viri stupuere relictis,

Bassius, atque duces alii, fortisque Palermes,
atque alter Pherinas, Pulto, Lyriusque remisso
imperio, cui Celta ferox, cui barbara parent
agmina, et insignis fama Cacosarcus et armis ;
atque alii, quorum Musae meministis, Iberi.
Qui postquam tanta viderunt mole superbos
Italiae populos subjecto incumbere muro,
tela, facesque parant contra, jaculisque lacessunt
Ausonios crebris ; magno tum castra tumultu
miscentur, multi Stygias mittuntur ad umbras ;
exspirant dulces animas pars, atque tubarum
ante cadunt multi sonitum, quos haurit arundo
missilis, armatumque volans hastile veneno.
Hic vero, ceu nulla prius sint gesta tot annis
proelia, ceu nulli fuerint sub Marte labores,
omnis amor laudum, dulcesque ante ora triumphi.
Ter Pandulphiades muros fortissimus altos,
aggere constructo trabibus sublimis acernis,
exsuperans armis trepidanti adparuit hosti.
Ter Marti eripuit juvenem Tritonia Pallas ;
nec mora, praecipiti cum Pallada turbine Mavors
verberat adsiduis clypei tinnitibus, hastam
horrentem arboream quatiens, et fervidus urget
vociferans. "Quid tela deum, quii proelia contra
sera venis ? Uni quae tanta audacia divae ?
Tune oblita venis Diomedis ut ipsa furores
moveris in Superos, Phrygiae cum litore Trojae
irritare viri mentemque, animumque furentis
haud dubitas in me, quae nunc tibi dona remitto
debita ?" Sic fatus, validam procul expulit hastam
Aegida terribilem ferrata cuspide pulsans ;
Aegida terribilem, quam non Jovis ulla moverent
fulmina, non saevos queis dejicit ille Gigantas.
Hanc tamen armipotens hasta Gradivus adibat.
Illa manu saxum turri dejecit ab alta
in caput, inque humeros laesa cervice furentis,
labentisque retro. Risit Pandulphius heros :
"I nunc, et Celtis animum, viresque secunda."
Vix ea, praecipitem, ac summa pro turre minantem
diripit Ortilochum, nec te tua forma, Lycurge,
nec roseis alba ora genis texere Podargum
insignem genitore Tago, nec profuit aureo
amne satum ; sed te geminae flevere sorores.
His Halium comitem, et confixum Therea dextram
Gargani clypeo demittit, et urget ab alto
increpitans : "Nunc, siqua animum fiducia tangit,
incipite, et conferte manus contra omnibus unum
viribus, o Celtae. Quo tela refertis Etruscis
o toties promissa, viri ?" Sic fatur ; at illis
frigidus e toto fugit in praecordia sanguis
corpore, nec quisquam jactavit verba canenti
talia ; sed latebras exquirere moenibus omnes.
Et nisi clausa dies magnum fugisset Olympum,
qua tuor ille virum misisset millia leto,
induxetque suos, et moenia summa teneret.

## LIBER TERTIVS DECIMVS

H_13 Abstulerat curas mortalibus, atque laboro
nox Jovis imperio, et nigri telluris in umbra
clausa diurnarum referens oblivia rerum
lenibat dulci languentia corpora somno.
Sed non magnanimi subigebat corda Palermae,
tristiaque adsiduis urgebat pectora curis.
Qui simul in mediis haec est effatus Iberis.
"Hactenus, o socii, spes est solata timentes
ante diu Celtas, donec mare currere apertum
fas erat, et nondum Fortuna inimica furebat
in caput Alphonsi magni, nostramque salutem.
Nunc autem ultro Italis quoniam sors aequa propinquat,
cedamus Superis, nec tendere numina contra
conemur, Proceres. Unum tentare favorem
experiamur adhuc Superum, dum nigra silet nox :
apta fugae nox est, tacitisque adcommoda furtis.
Dum somno, vinoque graves Deus imbuit artus
Ausonidum, tormenta silent muralia, et ignes
permixti fumo totas posuere favillas,
navibus a tacitis tortas abrumpite funes,
et tantos servate duces. Gratissima Celtis
omnibus, Alphonso prae cunctis grata, facessant
imperia haec juvenes : dulces rapiamus Etruscis
reliquias nostri cupidis, magnoque vetate
Sismundo hanc laudem claris accedere factis.
Illum, illum vidistis enim quid marte, quid armis
infremat, insultet quo turbine victor, et hasta,
et clypeo ante alios ! Cui si fortuna reservat
inclusos parvae superandis moenibus urbis,
crastina dum vehitur roseis Aurora quadrigis,
frustra iter arreptum tentemus tempore tali.
Quare agite o, dum fata sinunt, fugite ocius atram
mortem infandam omnes ; medio quos spargere ponto,
atque feris dare, quos canibus promittit Etruscis.
Di prohibete boni tantarum dira minarum
omina ! Di tales in eum convertite casus.
Quod si vita tamen manet infelicior ipsa
morte, quid in tenebris animam traxisse juvabit,
carcere tam diro queis pallidus horror ad ossa,
et verbis non laeta fames, squalentiaque ora
aeternos passura situs ? Sunt omnibus omnes
poena quidem mortes ; sed enim super omnia leti
dira fames genera est suprema, miserrimaque una.
Talibus impulsi Celtae Cacosarcus, et ingens
Bassius, atque alii, Lyrius, Pultoque superbus
arma, ratesque parant furtim, noctemque labori
gratam aptant, taritisque movent vestigia plantis.

Tum remos, et. Vela manu, tum cornua tractant
arborea, et funes properant aptare silentes.
Talia dum Celtae totis placito ordine tectis,
urbe quidem parva, multo sed milite. Plena,
expediunt, atque apta, fugae jam tempora quaerunt,
saucius arma tenent, et vulnere foedus acerbo
Palladis, aequoream Venerem Gradivus adibat
flammivomis elatus equis, clypeique cruenti
parte rubens. Cyprum ipse volans se sponte tulisset,
ni pariter magno Cytherea redisset Olympo
aera per liquidum niveis adlata columbis.
Quam procul ut vidit gratissima diva dearum :
"Cara Soror fratri ante alias, huc dirige cursum,
huc, mea cura, veni, videas ut dura Minervae
vulnera. Sismundum contra bellare paranti
obstitit ipsa Deo, mihique haec tibi vulnera liquit
ingenio curanda tuo. Quid denique tantum
odit utrumque caput Veneri, Martique resistens
unius ob magnum decus improba ? Num tibi toto
ex animo cecidere animi monumenta nefandi,
cum tibi Tydiden diris occurrere telis,
inque tuam suadet mortalia vulnera dextram ?
Nunc Pandulphiaden in me, crudeliaque arma
suscitat. Usque adeone deos mortalibus illa
posthabeat ? Tantumque duci det laudis Etruscum,
ut clausos terra, atque mari bellator Iberos
vi capiat ? Triginta etiam quae forte triremes,
auxilium Alphonsi quod restat rebus, habentur
spes miseris, adimant Itali ? Ne talia, quaeso, .
Ne patiare, soror : satis est spoliasse tot armis
bis miseros Celtas ; satis est natumque, patremque
amisisse animas, procerum tot magna cadentum
nomina, et incassum populos tentasse Latinos.
Unum oro, quando ista potes, ne navibus uti
Alphonsum contra possint ; quaecumque relictae
a trepidis fuerint, vulcanius occupet ignis
ista tui sit cura viri ; mihi cetera mandes."
Vix ea, cum vultu risit Cytherea decoro.
"Non bello, germane mihi, non victus iniqua
Pallade, non armis dejectus adesse sorori
adpares ; sed forte choros cum ducit Apollo
qualis ad Oceanum, talis nunc ora, comasque,
frater, ades. Tum grata manu tergere cruorem
incipit, imbuerat qua colla tumentia sanguis :
verum humor, non sanguis erat ; sine sanguine divos,
quos non ipsa Ceres, quos non alit ipse Lyaeus,
nectaris, ambrosiaeque liquor sine tempore reddit."
Tum Venus ipsa refert : "Vulcanum in talia mitto
obsequia, et solitos jubeo exercere labores.
Quos tu ignes illic, frater, quae incendia cernes ?"
Sic ait ; ille deae magnum praesensit amorem,
amplexuque levi clypeo dedit oscula adempto :
hinc Apennini juga celsa nigrantibus alis
occupat, unde videt diversas litoris oras
Hadriaci, Tuscique maris, regnumque superbi
Sismundi. Illa autem Siculos super ardua fluctos

tollitur aligeris nocturna sub astra columbis.
Est locus Aeoliam juxta, domus alta cavernas
efficit, et longis suspendit cornibus antrum
usque sub Aetnaeas per longa foramina rupes,
Vulcani sedes vasto sublimis hiatu,
unde ignes, ventique ruunt, et fumus ad auras
aethereas nigri caligine semper anhelat.
Hic gelidis Cyclopes aquis stridentia tingunt
arma Deum, et validis quatiunt incudibus antrum,
brachiaque in numerum tollunt, alternaque versant
aera manu, vastique gemunt stridore camini.
Hic magno mittenda Jovi candentia flammis
fulmina, terrificamque horrendis aegida monstris
horribili exercent sonitu, currusque, rotasque
praecipites, ocreasque graves, galeamque micantem
fulmine cristatam, sublimem Martis honorem.
Fulmina praecipue ventoso turbine, et igni
sulphureo miscent operi, tortisque sequaces
imbribus adjiciunt iras, et nube corusca
murmura rauca gravi sonitu, fremituque remittunt.
Inde vomunt clausis animosas follibus auras,
inque cava fornace furit vulcanius ignis,
instat et ipse Deus tanto insudare labori.
Quem Venus ut juxta stetit ore superba decoro
haec prior eloquitur : "Divum gratissime conjux,
nota tibi Alphonsi quonam Fortuna loco res
constituat, qui parte labans, quo pondere vergat ;
cui misero nunc triste quidem pro viribus haustis
subsidium paucae Tyrrheno in litore naves
restabant, dum Fata dabant meliora favorem.
Nunc autem an restent dubitans, ignara pericli
tristis agor, quando a Latiis tot gentibus una
urbe feros Celtas clausos, et moenia vidi
paene manu fortis Sismundi capta ; nec armis,
nec rapidis Gradivus equis obstare furenti
fas habet : ipsa viro vires Tritonia Pallas
sufficit ; ipsa egomet parmamque, et sibila durae
Gorgonis ora videns abeo, nec proelia tento
ulla manu : mihi bella meo placuisse marito
una gerenda ; meus non hic Rhoeteius heros ;
ob quem Tydides servandum vulnera nobis
intulit : unum oro, quoniam tibi sola superbo
ingenio certare audet Tritonia, vires
ignibus ipse tuis addas, navesque relictas
a trepidis, cum terga fuga nudasse videbis,
uras, atque urbem vacuam sine classe relinquas.
Hanc operam partire mihi, et largire laborem ;
quodque petit conjux, alii quaecumque dedisses,
ne, Vulcane, nega. Maestis Aurora querelis,
te Thetis, et toties Mars flexit, ut arma novares.
Et mihi fas aliqua, conjux, in parte locari
te penes." Haec fatam, verbis, et nomine contra
Lemnius adpellans : "Quid enim, pulcherrima conjux,
non dederim ? Sana quid enim tibi mente negarim ?
Tu mihi curarum requies, tu grata voluptas,
atque animi pars magna mei : nec Nereis umquam,

te nisi propter, opus manuum immortale mearum
ipsa tulit : nostris fabricata incudibus illi
arma dedi, quod alumna sacris adolesse sub undis
diceris Aurorae ; Phrygibus, quos semper amaras,
aequa fuit quoniam, croceum dignata cubile
Tithoni : nec plura moror." Sic fatus apertis
rupit iter terris, et turbine fertur anhelo,
nec tortas secat ipse vias, nec clauda retardant
ipsa deum, ut quondam, rapidis vestigia flammis ;
sed super aequoreos fluctus, et curva secundum
litora pronus iter populandam inclinat ad urbem.
Qualia ubi ad terras de prono sidera caelo
lapsa cadunt, longosque trahunt trans aethera crines :
aut ubi ventus agit summis de montibus ignem
in nemorum silvam ingentem, descendit inane
aequor, et arenti spoliantur gramine valles.
Sed jam lecta ducum naves manus omnis in aequas
ibant, et transtris tacita sub nocte sedebant,
cum graviter portu crepuerunt rostra recusso.
Quem strepitum mirati Itali rapiuntur ad arma
unanimes, tolluntque moras, et noctis in umbra
horrendae obscuri densant ad litora passim,
pars muros fortis Sismundi scandere jussi
imperio, pars ingentem conscendere turrem,
pars tormenta virum tollendo ad sidera saxo
instituunt. Tum prima ratis, quae forte tenebat
jam pelagus, misso defecit in aequore saxo,
immersitque viros una cum classe ruina.
Inde moram faciunt Itali dum forte, ferendo
pondere nave duces pelagus tenuere secundi.
Cetera Celtarum bello praeclara juventus
arma ferunt contra, jaculisque volantibus umbras
divisere cavas naves deducere curvo
litore conati : taedas Pandulphus, et ignes
poscit : at ardentes concrescere litore pinos
ocius adspiciunt Celtae : tum lampada mixto
sulphure praecipiti demisit ab aggere dextra
dux Pandulphiades navem jaculatus in atram
Aethomeni, et nigros concepit vertice crines
flamma volans olli, tabulisque adfixa vaporem
ingentem piceis circumtulit. Ora vocantis
Orsilochi socios fax altera clausit, et udo
gutture flamma furens stomacho consedit aperto.
Labitur infelix Telon, labuntur Iberi
innumeri circa, durisque imperdita Mauris
corpora Celtarum pelago cecidere cruento.
Quatuor ipse rates flammis incendit, et igni
sulphureo ante alios perstans, bellumque ministrans.
At deus, indignatus enim mortalibus esse
tantum opis in flammas, discussis protinus umbris
omnibus adparens caelo se ostendit aperto.
"Porto alios ignes, incendiaque altera vobis,
Ausonidae duri." Nec plura : fragore per auras
intonuit, vastumque vagans tremor impulit aequor.
Audiit et sonitum pastor Tyrrhenus, et audax
Sardus et ora, caput rapit unde celerrimus Arnus.

Obstupuit dux Ausonidum, Tyrrhenaque turba,
Ausoniique duces flammis lucescere fluctus,
et vicina diem superare incendia verum.
At vero Vulcanus edax per tecta, per aedes
volvitur, et latos dispergit lumine muros
usque furens ; tum diluvio per dura sequaci
robora serpit : hiant tabulata, ratesque fatiscunt
peste novi cunctae ; vacuas tum fumus ad auras
erigitur, tum clara vomunt incendia lucem
purpuream, tum flamma Euris inclinat Eois,
nunc Boreae submissa truci, nunc effugit Austros,
nunc incerta fluit, mutatoque aethere fertur ;
nunc gravidas populata trabes, nunc prona carinas,
arbuteasque levi contextas vimine crates.
At trepidi Celtae naves deducere toto
litore conati bellantur limine parvae
urbis, et ingenti muros clamore relinquunt.
Hic animis praestans, pictis insignis et armis,
clarus et ipse sua jam laude Tolonius ingens,
jam virtute annos superans, ut vidit euntes
ipse rates Celtarum, animis elatus avaris
litore de sicco saltum dedit ocius undis ;
et simul : "O trepidi, quae vos fuga concita, Celtae,
praecipitat ?" Nec plura : ratem de litore dextra
arripit, Alconem quae forte vehebat Iberum.
Ille diu luctans puppem deducere frustra
viribus in ventum fusis, dum forte tenetur
ancipiti suspensus aqua, miratur abire
tres alias, propriamque vado stagnante morari.
Dum stupet, atque animum formidine frangit amara,
adspicit haerentem navi de litore Lydum,
pressantemque manu puppem, obnixeque tenentem.
"Tune, ait, infelix, Celtas Tyrrhene reducis
in terram hanc iterum ?" Nec plura effatus, adacto
ense secat dextram misero tibi, magne Toloni.
Illa tremens paulum liquidis stat inutilis undis.
At juvenis laeva puppem tenet, atque cruento
verberat adsiduus ventos, aurasque lacerto,
voce vocans Alcona ferum : "Quid, Celta, minaris ?
Hinc tibi fas non est exire, potentia nulla :
sunt alii, qui jam igne rates populantur, Etrusci."
Vix ea praefato, laevam secat hosticus ensis.
Tum juvenis, tum vero amens formidine nulla ;
truncus uti firmis haerens radicibiis alta
olim fronde comas, et brachia tectus adulta,
verum ubi tristis hiems ramis decussit honestam
caesariem, solus vestit se tegmine vertex,
et viridis consurgit honos, deformia supplet
brachia solus apex ; tali se robore firmat
ferreus ante ratem pernix, tum pectore toto
trudit ovans, et victor agens ad litora navem.
Obstupuit dux ante alios fortissimus Alcon,
fulmineo simul ense caput ferit, atque cerebrum
spargit utrimque viro ; pronus tamen ipse ruinam
in puppim dedit ; obstupuit fortissimus Alcon.
Interea per cuncta furit loca lucidus ignis

Vulcani, diasque faces in robora classis
amissae, et dempta jam tum statione relictae,
conjicit, et vires tectis dispergit anhelas
omnibus. Exsuperant flammarum lumina ponto
obvia Tyrrheno, egressis crudele Tyrannis
augurium ; flammas laeti mirantur Etrusci.
Nec divina quidem cessant incendia, donec
pallentes abjungit equos nox humida curru
vecta suo, et nigras telluris abegerat umbras.
Ac velut astra procul niveam circum undique Lunam
magna videntur, ubi tranquillior expulit aer
nubila, cernuntur montes, procurvaque ponti
litora ; multus enim se ostendit in ignibus aether ;
sidera cuncta micant, laeto stat pectore pastor.
Tum Pandulphiades urbem sine more receptam
aequat humo, et muros Italum dux diruit altos.
Corpora deinde virum dignis mandare sepulchris
instituit : dubiam Tyrrheno in litore plebem
condidit ; eximios Pisanam mittit ad urbem.
Te Nami ante alios, et te memorande Toloni,
quem Tyrrhena manus longo comitata dolore
prosequitur gemitu, et singultibus aethera pulsat.
"O decus aeternum nostrae, memorande Toloni,
gentis, et egregium nomen venture per ora
magna virum, et lustris numquam moriture futuris :
te pietas, te laudis amor, te conscia virtus,
gloria te jussit crudelem spernere mortem ;
nec casus te in fata trahunt, sed sponte subisti
letum insigne libens, stupuit quod ferreus hostis
exemplum antiquae virtutis, et unde fuisset
his genus, unde animus, queis cum bellare parassent.
Esse quidem cuncti clamabant ferrea Lydis
pectora, dura virum non ulli membra labori
subdita, non ferro, non cedere fortibus armis,
non unum a tota superari classe : quis alter
Alcides, Theseusve manu praestantior olli ?
Et taurum ingentem, et fulvum traxere leonem,
indomitas impune feras : tu tanta virorum
corpora cum magna traxisti, Lyde, carina.
O dextram, indignum ! Crudeli vulnere raptam ;
o dignam Pylio consumptam rege juventam !
Tune decus magnum primis exstincte sub annis
aeterni nostros decorasti laude triumphos ?
Scilicet invidit tantum Gradivus honorem
ante diem audenti, atque animum super astra ferenti."
Haec ubi fleta, viam arripiunt, curvoque feruntur
litore deflentes, planctus, lacrimasque cientes.
At Pandulphiades patrias remeabat ad urbes
cum sociis victor, Picenaque presserat arva,
amnis ubi Hadriacas volvit se Sena sub undas.
Hic urbem sociis, olim quam longa vetustas
solverat, emeritis dedit alti grata laboris
praemia : laetus ager circum, silvaeque novandis
materies ratibus natae, nec plura juvenci
farra domum Italia grati traxere laboris
ex magni cuncti, quam qui sunt moenia circum

Gallica : clarus adhuc fama locus ille, ubi victor
Hannibalis fratrem spoliavit Claudius armis,
et vita quondam clari trans laeta Metauri
flumina ; parte alia nam Graia reconditur Ancon
montibus, atque mari portu seclusa profundo est.
Hic arcem primum, magnum quae despicit aequor,
condidit ; hinc totam praecinxit moenibus urbem,
hinc pontem, et portam posuit, turrimque superbam,
hinc loca grata fori, atque domos capere ipse jubebat ;
hinc portas aptare viros, hinc dividit agrum
civibus, hinc mores, et jura ex ordine avita
imposuit, qui bella gerant, si forte vocarit
fors adversa, viros delegit, agroque locavit
cultores, terrae imperitent qui laeta moventes
jugera, qui domitent tauros, glebasque fatigent.
Hinc ad Arimineam fertur laetissimus urbem,
victor ubi Superis votum dum solvit, honorem
ipse deo reddens summo, mirabile templum
marmore de Pario construxit, et urbe locavit
in media ; quod dura Jovis non ulla moverent
fulmina, non saevos queis dejicit ille Gigantas.
Porta aeterna ingens nigro durissima saxo
vestibulo posita est pulchro, quam candida circum
quatuor in caelum capita arrexere columnae.
Candida praeterea muri latera undique magni ;
sex intus late signis fulgentibus aedes
hinc, atque hinc, pulchra testudine ad aethera missae.
Marmora tum partim fulvo conduntur in auro,
ostentant nudas partim sua signa figuras.
Parte alii ingenti surgit testudine templum
aetheris in morem, magnumque imitatus Olympum
ille labor manuum, signisque ingentibus altum
ardet opus, fulgentque poli viventia monstra.

BASINI PARMENSIS
HESPERIDOS
LIBRI XIII. ET VLTIMI
FINIS.